



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Examen Theologiæ Moralis**

**Moure, Antonio Fernandes de**

**Coloniæ Agrippinæ**

Pars Secvnda. Præceptorum Ecclesiæ, & Censurarum, Pœnarumque  
materias complectens.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40934**

## CAPVT XXI.

## Decimum Decalogi præceptum.

*Non desiderabis domum proximi tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, non omnia, quæ illius sunt.*

**Q**VAESTIO. *Quid prohibetur hoc præcepto?* RESP. Omnis species auaritiæ. Est autem auaritia appetitus diuitiarum voluntariè inordinatus. Tres autem virtutes offendit huiusmodi appetitus. Offendit iustitiam, cum appetit possidere, vel retinere aliena iniusto modo: nempe per vim, fraudem, aut dolum. Offendit liberalitatem cum denegat, quæ tenetur eroganda superflua. Verumtamen de hac obligatione dicam cum me de eleemosyna rogaueris. Offendit charitatem, quando sic erga diuitias affectus est, vt eas præferat necessitati proximorum.

*Finis prima partis.*

EXAMINIS  
THEOLOGIAE  
MORALIS

Seu Praxeos Casuum Conscientiæ.

PARS SECVNDA.

Præceptorum Ecclesiæ, & Censurarum, Pœnarumque materias complectens.

*Egimus in prima parte de præceptis decem Decalogi. Nunc de præceptis quinque Ecclesiæ, deque Censuris, ac pœnis, quæ eiusdem sunt Ecclesiæ iussa, nobis agendum superest. Quoniã vero ad intelligenda, quæ dicenda sunt, faciem præfert legis humana cõmunis*

*notitia*

notitia, eam pramittendam censuimus, ut postea ad singulas leges, singulaque praecepta veniamus.

De Lege Humana.

De Legis Humanæ etymologia, & definitione. §. I.

- 1 De etymologia huius nominis Legis.
- 2 De definitione Legis.

CAPVT I.

1 **Q**VAESTIO. Vnde dicta est lex? RESP. Dicta est a legendo. Ita D. Thom. 1. 2. quest. 90. art. 1. Scot. in 1. d. 15. qu. 2. art. ex Cassiodoro, & Isidor. 2. Etymolog. Dicta est a legendo, quia plerumque leges humanae teruntur in scriptis. Ita Isidorus citato loco Dicta est ab eligendo. Sic Tull. teste Sor. 1. iust. quest. 1. art. 1. Augustin. 2. p. quest. Testam. questio. 5. Nempe, quia per eam sciunt subditi, quid eligendum est, & sequendum in operationibus.

2 **Q**VAEST. Quo pacto definitur lex? RESP. Est ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo, qui curam communis habet promulgata. Ita D. Thom. 1. 2. quest. 90. art. 4. sequitur Nau. de leg. poen. numer. 1. tom. 2. conclus. Eam vero ab effectu sic definiunt Sor. 1. iust. questio. 1. art. 1. Castro. libr. 1. de leg. poen. capit. 1. Est æquitatis, iniquitatisque regula. Dixi ob bonum commune: quia si executio legis est contra bonum commune, talis lex est nulla. Quam veritatem docuit Plato. dialog. 5. de legibus Aristor. 4. Polit. cap. 1. Tul. 1. §. de legib. & Isidor. Habetur Can. Erit dist. 4. Probatum ratione. Quia lex est communis regula, & mensura operationum humanarum, teste Platone in Menoe. Est commune præceptum, sic appellatur ab Arist. 5. Eth. §. in L. lex & L. iura ff. de legib. Est instrumentum Principis, ut primi motoris actionum subditorum: atqui prima mensura, commune præceptum, primi motoris instrumentum, debet tendere ad bonum commune, ergo & lex.

3 QVAEST.

3. QVÆST. Huic tua responsioni videtur obstare L. I. §. huius studij. ff. de iustit. vbi ius publicum à privato distinguitur, quod privatum tenuit ad singulorum utilitatem. Tales videntur leges Priuilegiorum. Leges publicorum, Minorum Seruorum, Vectigalium qua Regis, ac Principis imponuntur utilitati. Dic igitur, quid in hoc censeas? RE SP. Dico vnum. Priuilegia esse leges. Ita appellantur cap. Priuilegia dist. 3. quod perperam negarunt Gloss. capit. Erit autem lex dict. 4. & Castro 1. de leg. 7. cen. cap. 1. & alij Ratio est, quia falsis nituntur fundamentis. Glossa ait priuilegia non respicere bonum commune, & hoc saltem in priuilegijs contentis in corpore iuris falsum est. In priuilegijs alijs ratio communis boni attenditur, conducit enim bono communi bene meritos maioribus afficere præmijs, ut eorum exemplo alij ad virtutem concitentur. Castro ait leges ferri generaliter: priuilegia vero specialiter: & ideo appellari leges priuatas, cap. it Priuilegia, dist. 3. Et hoc falsum etiam est, saltem in priuilegijs personalibus communiter, qualia sunt concessa Mendicantibus, pupillis, & alia. Dicuntur verò priuilegia leges priuata, quia in ijs aliquid particulare conceditur. Ideo Durand. de iurisdict. eccles. question. 2. artic. 2. definit: priuilegium est ius, quod continet specialem gratiam concessam alicui. Alij aiunt leges esse iura communia, priuilegium vero eximi à iure communi. Ita enim definitur priuilegium. Est ius priuatum contra ius commune. Sic Hostiens. in summ. sed hoc falsum est: qui statuta in fauorem pupillorum, militum, & similium appellantur leges, & tamen eos eximunt à iure communi. Aduerto tamen in priuilegijs duo consideranda esse, nimirum fauorem erga priuilegiatam personam, & obligationem seruandi ea erga magistratus Reipublicæ. Considerata quidem priori modo, non sunt leges, neque obligant, potest enim priuilegiata persona renunciare suo fauori speciali. Ita Angel. verb. Priuileg. Probatum ex capit. Cum accessissent, de probationibus cap. Quod ob gratiam, de reg. iur. in 6. vbi Glossa L. quod fauore. Cod. de legib. Considerata vero modo posteriori sunt leges, & obligant ad sui obseruationem, respiciuntque bonum commune. Tales sunt etiam leges pupillorum, Minorum, Seruorum, & Vectigalium.

De potestate condendi leges  
ciuiles. §. 2.

- 1 An laica Communitas possit condere leges.
- 2 Penes quos sit potestas condendi leges ciuiles.
- 3 A quo Reges habeant potestatem condendi leges ciuiles à Communitate.
- 4 An Communitas possit hanc potestatem concessam reuocare.
- 5 An Papa possit condere leges ciuiles.
- 6 An Papa possit reuocare, seu annullare leges ciuiles.

1 QVÆSTIO. Estne in Communitate laica potestas condendi leges ciuiles? R E S P. Maxime. Quam veritatem ostendit ipsum ius naturale. Ita Philosophus 6. Ethic. & 1. Politic. & D Thom. 2. 2. quæst. 90. art. 1. ad 2. ut iam dixisti.

2 QVÆST. Penes quos est potestas condendi leges ciuiles? R E S P. Penes ipsam Communitatem. Insuper penes Reges, & Principes ab ipsa Communitate creatos. Ita Philosoph. & Diu. Thom. locis citatis, & Plato toto libr. de Republica.

3 QVÆST. A quo acceperunt Reges huiusmodi potestatem? R E S P. Quamuis aliqui Reges illam immediate à Deo acceperunt, ut Saul. 1. Reg. 10. Dauid. 1. Reg. 16. Iehu. 4. Reg. 9. & alij. Tamen omnes alij illam à Deo mediate accipiunt, per ipsam Communitatem. Ita Cou. pract. quæ. capit. 1. conclus. 1. Nauar. cap. Nouit. de iudicijs nota 3. numer. 119. Maranra. 3. p. Specul. numer. 25. & 26. ex L. 2. §. nouissime ff. de orig. iuris, & L. 1. ff. de constitut. Princip. Ledesm. 2. 4. quæst. 18. art. 3. dub. 10. Castro de leg. poen. lib. 1. cap. 1. fauet D. Thom. 1. 2. quæst. 90. art. 3. dum ait condere leges pertinere ad ipsam Communitatem, vel ad eum, qui eius vicem gerit, & 1. 2. quæst. 97. art. 3. ad 3. ait Principem non habere potestatem condendi legem, nisi in quantum gerit personam multitudinis. Hinc fit, ut non minus teneantur Reges legibus fundamentalibus regni, quibus scilicet

licet constituitur, restringitur, aut extenditur eorum iurisdictione, atque tenentur priuati quibus communibus pactis, & conuentis, sicuti bene notauit Toletanus lib. 7. de Repub. cap. 16. num. 8.

4 QVÆST. Potestne Communitas huiusmodi potestatem concessam Regibus iterum reuocare? RESP. Minime quidem, Ita communiter Doctores. Verumtamen propter ipsorum Regum tyrannidem potest Ita Maranta citato loco de sententia Baldi, & Aretini, Ratio est. Quia licet communitas talem potestatem à se actualiter abdicauerit, non tamen irreuocabiliter, ut ait Nau cap. Nouit. de iudicjs. not. 3. num. 119. & Almain. de auctorit. Papa. Et ideo si Rex in ferendis legibus commissionem sibi traditam excedat, non ligatur ijs populus, adnotauit Innocent. ca. 1. de locato, &c. A nobis de elect.

5 QVÆST. Potestne Papa concedere leges ciuiles politicam Rempublicam obligantes? RESP. Suppono, ut probabilior sententiam, quæ Papæ non concedit per se dominium temporale, directum in vniuersum mundum. Quam probant Bellarm. lib. 5. de Rom Pontif. Turrec. lib. 2. sum cap. 1. 3. Caiet. in Apolog. cap. 13. Sor. in 5 d. 45. quaest. 2. art. 1. & Victor. in relect. 2. de potest. ecclesiast. Dico igitur, Papam non posse condere leges ciuiles, nisi in terris, in quibus habet dominium temporale.

6 QVÆST. Potestne Papa leges ciuiles Regum reuocare? RESP. Potest cum contrariæ sunt fini supernaturali. Ita Bellarm. citatur, & omnes. Quia in hoc Respubl. politica subordinata est gubernationi spirituali. Et ideo cum inueniuntur contrariæ duæ leges, alia ciuilis, alia ecclesiastica, si in executione datur periculum animarum, standum est ecclesiasticæ, non ciuili. Ita tradit Gloss. capit. Possessor, de reg. iur. in 6. Felin. ad capit. Ecclesia de constitutur Panorm. ad cap. Cum haberet. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit. Barth. Auth. Ex complex. Cod. de incest. nup. Fortun. tract. de ult. fin. de iur. can. numer. 3. Imola cap. Quoniam de præscrip. num. 5. & ideo abrogata est lex ciuilis de præscriptione cum mala fide ca. finali de præscri. Lex denegans alimenta filijs illegitimis. cap. Cum non haberet. Ut notant Couar. 2. p. Epitom. cap. 8. §. 6. & Gomes. ad 6. L. Tauri. num. 37.

CAPV F

## CAPVT II.

## De Potestate condendi leges humanas.

§. Quoniam ab ipso Naturæ Duce, ius habet omnis Communitas condendi leges erga suos, vt docet Philosophus, 6. *Ethic.* & 3. *Polit.* & ex eo D. Thom. 2. 2. *quæst. 50. art. 1. ad 2.* Omnis vero Communitas, aut est ecclesiastica, aut civilis. Quamquam nostro instituto bene satisfaceret, si de sola potestate condendi Ecclesiasticas leges in præsentia ageremus: maioris tamen doctrinæ gratia, etiam de potestate condendi leges civiles interrogationes proponam. Vtraque enim Communitas est corpus mysticum, & ipsa natura potens est sua membra legibus gubernare.

## De Potestate condendi leges Ecclesiasticas. §. 1.

- 1 An sit in Republica Ecclesiastica potestas condendi leges.
- 2 A quo accepit huiusmodi potestatem.
- 3 Penes quos est hæc potestas.
- 4 De Capitulo Sede vacante.
- 5 De Collegio Cardinalium.
- 6 De superioribus Religionum.

1 **Q**VÆSTIO In primis rogo, estne in Republica Ecclesiastica potestas condendi leges obligantes? RESP. Negant hæretici, quos referunt D. Anton. *titul. 11. cap. 7. §. 2.* Bellarm. *lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 15.* Vtuntur Diuinæ Pagine testimonij, *Redemit nos à maledicto legis.* ad Galat. 3. Item Legem mandatorum decretis euacuans. *Non sumus Ancilla filij, sed libera, quæ libertate Christus nos donauit.* ad Gal. 4. Verumtamen hæc testimonia loquuntur de exemptione à lege Mosaica, à qua Christus Dominus nos exemiit. Dico igitur. De fide est esse in Ecclesia potestatem condendi leges Ecclesiasticas habentes vim coactiuam

nam erga subditos Ecclesiæ. Ita communis sensus Catholicorum.

2. QVÆST. *A quo est hæc potestas condendi leges Ecclesiasticas, hoc est, à quo accepit Ecclesia hanc potestatem condendi leges Ecclesiasticas?* R E S P. A Christo Domino. Ita probat Victor. *in relect. de potest. Eccles.* Ratio est, quia hæc potestas deducta est, & deriuata ab Apostolis, sed Apostoli illam acceperunt à Christo Domino, cum Dixit Petro, *Pascue oues meas,* & testatur Paulus. *2. Corinth. 10. Potestatem, quam dedit mihi Dominus;* ergo &c. Hoc voluerunt Apostoli significare in primo Concilio Hierosolymitano, cum dixerunt. *Visum est spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis, quam hæc necessaria, &c.* quasi dicerent, per hanc potestatem, quæ nobis per Christum à Spiritu sancto fuit communicata.

3. QVÆST. *Penes quos est huiusmodi potestas?* R E S P. Penes summum Pontificem. Penes Ecclesiam in Concilijs congregatam. Penes Concilia Prouincialia cum suo Primatè. Penes Concilia diocesana cum suo Episcopo. Penes communitates minores, vt Capitula Canoniorum, Vniuersitates, Collegia, & similes. De summo Pontifice, & de Concil. generali, legitime auctoritate Apostolica congregato, Habetur *cap. Regula. dist. 2.* Ostendit Bellarm. *lib. 4. de Rom. Pont. cap. 16.* Patet ex *15. Acto.* in primo concilio Hierosolymitano Vbi decretum est de abstinendo à sanguine & immolatis idolorum. Quod decretum neque obligabat ex iure naturæ, vt manifestum est, neque traditum fuerat à Christo Domino, vt constat; neque vim accipiebat à lege Mosaicæ, quia iam abrogata erat; ergo ab auctoritate Concilij. De Concilijs Prouincialibus, & Diæcesanis probat vltus Ecclesiæ, ostendit Hostiensis *in sum. tit. de constit. §. quis possit statutum facere.* Innocent. & Compostel. *cap. Cum omnes & ca. Cum accessissent, eodem tit.* Probat, 1. Quia Paulus *Acto. 20.* eos dicit à Christo Domino positos ad regendam Ecclesiam Dei. *Quos Spiritus sanctus, inquit, posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Quem locum de Episcopis interpretatur Concil. Trid. *sessi. 23. cap. 4.* De minoribus Communitatibus, qualia sunt capitula Canoniorum, Vniuersitates, Collegia, Confraternitates, & similia, patet ex *cap.*



cap. *Quæ contra dist. 9. cap. Catholica dist. 11. cap. Conquestus de seruis.* Constat ex *L. Per iniquum Cod. de iurisd. omni iudi.* & *L. omnes populi ff. de inst. & iur.* Docet Albericus *tra. 7. de consuet. que. 3. num. 1.* Quæ ita facta obligant solas personas earundem communitatum. Ita Bald. *in Margarita verb. statutum.* Nec huiusmodi leges ad obligandum indigent superioris approbatione, ut ipse idem Bald. notat. *Capitulum tamen Canonicorum.*

4 QVÆST. *Quid censetur de sede vacante?* R E S P. Succedit in iurisdictione Episcopali *Gloss. cap. Ad abolendam de hæretic. & cap. Cum olim de maiorit. & obedientia.* Verumtamen condere non potest leges, quæ sede iam impleta valeant. Ita colligitur ex *cap. 1. ne sede vacante aliquid innovetur eodem titulo.* Seruanda tamen hac in re consuetudo. Visitator tamen à capitulo electus, potest statutum condere duraturum postea, sicuti visitator Episcopi.

5 QVÆST. *Quid arbitraris de Collegio Cardinalium, Apostolica sede vacante?* R E S P. Non potest condere leges obligantes orbem, nisi conducatur ad electionem Papæ. Ita Panormitan *capit. Cum te, de re iudicat. num. 12. & 11.* Barbant. *capit. translato, de communitatibus* ex Antonio, & Baldo *in tractatu schismatis ad rubr. 6. si quis aliqui. test. prohib. & ad L. ubi ff. de tutoribus & curat. Iacobatus lib. 7. de Consuet. art. 5. num. 19. capit. ubi ceticul. §. paterum de elect. in 6. Clem. ne Romani §. irritum, eodem tit.* Ratio est quia iuxta Doctorum interpretationem, huiusmodi iurisdictione, vel nunquam illis à Papa concessa fuit, vel per disfluetudinem abrogata est.

6 QVÆST. *Quid censetur de superioribus religionum circa huiusmodi potestatem?* R E S P. Standum est constitutionibus religionis, & secundum eas approbatas à summo Pontifice stringenda, vel amolenda huiusmodi potestas. Quare si superiores soli, vel etiam ipsum Capitulum vellet condere leges admodum austeriores supra regulam, quam quisque professus est, eæ essent nullæ ex defectu potestatis *cap. Gesta dist. 7. 4.* Enim vero huiusmodi leges requirunt consensum singulorum in particulati. *R. g. Quod omnes lib. 6. Ita Angel. verb. Religiosus num. 20. Hostiens. cap. Relict. quod metus causa. Syluest. Religio. 6. num. 6. Cum D. Thom.*

## CAPVT III.

De vi coactiua legum humanarum, quæ  
ad forum externum.

De consensu subditorum requisito  
ad legis obligationem. § 1.

3 An possit legislator subditos inuitos, & repugnantes  
cogere ad legum obseruantiam.

3 **Q**VÆSTIO. Potestne legislator subditos inuitos, & repu-  
gnantes cogere ad legum obseruationem? **RESP.** Po-  
test, capit. De Liguribus. 23. qu. 5. Ita Turcremata  
ad cap. Ideo d. 4. quest. 1. num. 2. ex Hugone, & Archidia-  
Ratio est, quia potestas legis ferendæ esset ridicula, &  
inutilis, si eius obseruantia ex populi penderet arbitrio.  
Hanc vim coactiuam appellauit D. Paulus Rom. 13. gla-  
dium, & parere legibus, vocat parere necessitati, vt *ibidè*  
aduertit D. Thomas. Hæc dixerim absolute, in particu-  
lari tamen. Dico primo. Leges Ecclesiasticæ (ad quas con-  
dendas datur in Ecclesia iurisdicctio à Christo Domino) nullum  
requirunt populi consensum. Dico secundo. Le-  
ges ciuiles latæ à Regibus (qui ab ipso populo potesta-  
tem acceperunt) etiam non requirunt populi consen-  
sum, nisi exorbitent à communi regni utilitate. Dico  
tertio. Leges ciuiles latæ à Regibus, qui regnant iure  
belli, obligant absque consensu inuitos, & repugnantes  
subditos. Ratio est. Quia tales reges à populo non acce-  
perunt potestatem, sed à victoria, qua rebelles sub suam  
potestatem redegerunt. Dico quarto. Leges latæ à maio-  
ribus cum consensu viuentis populi, obligant posteros  
etiam repugnantes, & inuitos. Ita Couar. ca. *Almamater.*  
1. p. §. 9. nu. 2. cum communi, Ratio est. Quia vt idem per  
successionem ceteris fluuius, ita & populus quotidie  
oriens, & occidens. *L. Proponebatur ff. de iudic.*

Contra hanc quartam conclusionem sic aliquis ar-  
gumentabitur. Posterius non tenentur seruare vota ma-  
iorum;

iorum;

iorum; ergo, nec leges, & statuta? R E S P. vota reali-  
maiorum obligare posteros; vt constans est Docto-  
rum sensus. Nam cum succedant in eorum hereditates  
ex quodam quasi contractu, ad ea obligantur. De per-  
sonalibus singulorum, est etiam concors opinio, non te-  
neri, nisi ipsorum posterorum consensus accedat. De  
personalibus totius populi videtur Nau. in sum. capit. 11.  
num. 74. posteros obligare. Negandam tamen esse talem  
obligationem ex vi voti, & ideo cum re vera decurrit  
posteris, dico ortam esse ex quodam quasi statuto maio-  
rum, ipsa consuetudine confirmato. Quod quidem ab  
ipso populo abrogari non potest, quia transijt in consue-  
tudinem: consuetudo vero abrogari non potest a populo  
sine consensu superioris, vt infra dicam.

De Promulgatione legum necessaria ad  
earum validitatem. §. 2.

- 1 An requiratur promulgatio ad legum validitatem.
- 2 Quomodo valida erit promulgatio legum.
- 3 An necesse sit, vt talis promulgatio fiat in singulis or-  
bibus regni.

1 QVÆSTIO. Requiritur ne promulgatio legum ad earum  
obligationem? R E S P. Requiritur. Ad civiles  
constat ex Auth. Vt facta noua Constitutiones, collat. 1.  
ibi Gloss. & Doctores; & L. leges sacratissima Cod. de legibus.  
Ad ecclesiasticas vero ex capit. 1. De postulat. pralat. & in  
Panormitan. cap. in istis distinct. quarto §. leges.

2 QVÆST. Quomodo promulgatio valida erit? R E S P.  
Quouis signo externo fiat expressiuo imperij superioris,  
satis est ad inducendam huiusmodi obligationem. Ita  
Fulg. L. De quibus. num. 1. ff. de legibus Ioan. And. ad reg. Nemo  
potest lib. 6. Felix & Riffa. in rubr. de constitut. Selua de be-  
nefic. quæst. 22. num. 14 & claret ex cap. 1. de iureiurand. in 6.  
& ex Clemen. Dudum de sepult. §. Nos etenim cap. Institut. 25.  
quæst. 2. Nisi alicubi consuetudine approbata introdu-  
ctum sit, vt non nisi certis ceremonijs promulgatio vali-  
da censetur.

3 QVÆST. Estne necessarium, vt hæc promulgatio fiat in  
singulis orbibus? R E S P. Minime, sed est satis, quod in  
curia

Curia principis, aut loco celebriori Prouinciæ inculce-  
tur cap. De postul. Pralat. traditque Panor. ad cap. Cognoscen-  
tes de constit. & Bald. ad Leges sacrat. Cod. de legib.

De tempore, quo incipiunt leges obli-  
gare, postquam promulgatæ  
sunt. § 3.

I Quando incipiunt leges obligare.

QVAESTIO. Quo tempore incipiunt leges promulgatæ  
obligare? RESP. Dico primum. Si in ijs exprimitur  
tempus, ex tunc, capit. Cum singula de preb. libr. 6.  
Gloss in Clement. 2. de heret. verb. ex tunc. Dico secundum.  
Leges quas condunt Vniuersitates, capitula, Episcopi, &  
similes minores magistratus, obligant statim post so-  
lemnem promulgationem. Ita Hostiensis in sum. titul. de  
Constit. §. quando. Roteus. p. 3. de synod. Sylu. verb. Lex. qua.  
6. Turrecrem. ad cap. In istis. §. leges. d. 3. Nauar. in sum. capit.  
23. numer. 44. & cons. 1. de constit. quæst. 4. Dico tertium. Lex  
noua continens ius antiquum, seu declaratoria tantum  
iuris antiqui obligat statim post promulgationem. Ita  
Turrecrem. supra. Ioan. And. Paulus, & Gloss. in proem.  
Clement. §. de cætero. Francus, & Gloss. supra data sexti.  
Hoc intelligo, nisi tale ius antiquum per contrariam cõ-  
suetudinem præscriptum abrogatum esset. Vel nouam  
pœnam adijciat supra ius antiquum: in his enim eadem  
esset ratio, ac si nouum ius crearetur. Dico quartum. Le-  
ges ciuiles Principum supremorum: cum nouum ius  
continent, neque tempus obligandi præscribunt, obli-  
gant in quauis prouinciæ parte à duobus mensibus post  
promulgationem, sic habetur. Authent. Ut factæ nouæ  
constit. Ita Doctores communiter, qui leges testamen-  
torum ad omnes extendunt Panor. ad cap. 2. de constitu.  
Hostiensis. Ioann. Andr. & Felynus ad idem capit. Bald. ad  
L. Leges sacrat. Codic. de legibus. Rosell. & alij; verb. Lex.  
Standum tamen est iuri vniuscuiusque Regni. Nam in  
Lusitania leges promulgatæ in regia Cancellaria, aut do-  
mo Supplicationis, valent in Curia post octo dies, alijs  
in locis post tres menses, licet in illis non fiat promulga-  
tio.

Medull. Casuum

V

tio.

tio. Ita *lib. 1. Ordin. tit. 2. §. 10.* Dico *quintum.* Leges à summo Pontifice latae, tolemniter Romae promulgatae, obligant ibidem post duos menses. Ita commune interpretamentum Doctorum. Ratio est, quia de hoc nihil decretum in iure canonico: standum est ergo iure civili, nam quae in iure canonico determinata non sunt, determinanda sunt iure civili: per *cap. 1. de noui operis nunciatio. ca. Si in adiutor. d. 10.* notatque Innocent. *ad cap. final. reb. Ecclesi. non alien.* in iure verò civili. *Authent. Ut facta noua constit.* obligat post duos menses. Quando vero huiusmodi Pontificiae leges incipiant obligare in quavis prouincia orbis, his est magna inter Doctores. Prima opinio requirit promulgationem earum, in vnaquaque prouincia. & ait non nisi post duos menses à promulgatione ibidem obligare. Ita Gloss Felinus, Decius, & *ad cap. 2. de constit. Navar. in sum. capit. 2. 2. numer. 44.* Inuent Panor. *ad ca. 2. citatum. Angel. ver. Lex. num. 1.* Cocrad. 2. *quast. 9. art. 4.* Ratio eorum est iam assignata, quod standum est iure cōmuni. Secunda opinio requirit etiam promulgationem in prouincijs singulis, ait vero, si iam elapsi sunt duo menses à promulgatione facta Romae statim obligare à primo die promulgationis in prouincia factae. Ita Sor. 1. *iust. qu. 1. ar. 4.* Medina. 12. *qu. 90. ar. 4.* Pelatius in 3. *d. 37. d. 1.* Inter eos tamen adhuc est dissidium. Nam Medina adhuc exigit publicationē in quasi diocesi. Atque hoc de poena certum est, nam *cap. Cum infirmus. de poen. & remissa* decernitur: & postea decreuit Greg. XIII. Ratio eorum est, quia videtur nimis durū obligare post duos menses Indos, & alios remotissimarum partium orbis incolas, legibus, quarum notitia ad eos permeare nequit. Tertia opinio asserit huiusmodi leges obligare se post duos menses à promulgatione, facta Romae, à toto orbe terrarum. Ita Ioan. And. *super data sexti. Panormita. ca. Nouerit de senten. excommun. Navar. tom. 1. cons. ca. qu. 4. ibid. qu. 6. §. 3.* Et hic est stylus Curiae Pontificiae, secundum quem in ea deciduntur causae totius orbis per leges Pontificias, postquam Romae promulgatae sunt. Casus est expressus, *ca. prim. de posu. pralat.* de quodā Episcopo cautante ignorantiam legis, contra quam iuit, &c.

## De legibus irritatorijs, reuocatorijs, &amp; priuilegiatiuis, quo ad earum validitatem. §. 4.

- 1 An leges irritatoriæ obligent ignorantes.
- 2 De legibus reuocatorijs.
- 3 De legibus priuilegiatiuis.

**Q**UÆSTIO. Obligantne leges irritatoriæ ignorantes eas ad validitatem contractus? **R**ESP. Maxime. Itaque licet quis ignoret matrimonium esse inuvalidum contractum in secundo gradu consanguinitatis: si contrahit, non facit validum contractum Ita Nauar. cap. 23. num. 44. Palu. in procem. Clem. Decius ca. 2. de Consi. Fely. ibidem & alij Et ideo omnium resolutio est, legem irritantem statim à publicatione valere, ca. Dudum. ca. Quod idem. ca. Postquam. de prob. in 6. docetque Panor. ca. Staphilius. de grat. spectat. forma. 8. numer. 8. Gloss. cap. 1. de concess. prob. & Franc. in data sexti.

**Q**UÆST. Quid censes de reuocatorijs? **R**ESP. Dico primum. Post factam reuocationem priuilegiorum, quicumque certior factus est, non potest illis deinceps uti. Dico secundum. Leges reuocatoriæ gratiarum & beneficiorum, quorum consecutio conceditur absque dispendio rei familiaris, statim obligant ignorantes à promulgatione earum. Et ideo etiam in conscientia talis, nec consequitur huiusmodi gratias, nec facit fructus beneficij, si beneficiatus est. Dico tertium. Leges reuocatiuæ priuilegiorum, quorum fructus pertinet ad essentialem animæ salutem, qualis est absolutio à peccatis, non sunt validæ erga ignorantes, cum ignorantia est communis in provincia, vel saltem in loco, ubi concessa erant priuilegia. Hanc deducunt Auctores ex *L. Barbarius. ff. de offic. prat.* per quam legem valent acta cum communi errore facti, & titulo siue vero, siue præsumpto, & habito ut vero. Quando vero communiter ignoratur, priuilegia esse reuocata, datur communis error factis: ratione vero Bullæ, seu priuilegij, datur titulus præsumptus, tenent igitur, quæ sic fiunt, non solum foro externo, sed etiam in conscientia.

3 QVÆST. *Quid censes de legibus priuilegiatiuis?* R. S. P. Leges priuilegiatiuæ statim obligant à sua promulgatione. Ita Panorm. cap. 2. de consti. Paul. & Gloss. proem. Clement. verb. de catero. ibidem. Felin. Anchar. conf. 319. Rom. conf. 330. Gemin. cap. 2. de concessi. prabend. numer. 4. Franc. cap. ex parte. 5. de concess. prabend. L. Diua memor. Cod. de curio lib. 10. ca. 1. de concess. prab. Verumtamen aduertendum est, has leges priuilegiatiuas statim obligare, quo ad fauorem, non vero quoad pœnam appositam ijs, qui contra tale priuilegiũ iuerint. v. g. conditæ sunt leges priuilegiatiuæ in fauorem Ducis Brabantia, ne quis venerit intra finem septem sub pœna verberum, quo ad pœnam est lex penalit, & ideo non obligat statim, sed post tempus aliarum legum. Latæ sunt Leges Pontificiæ in fauorem Ecclesiæ sub pœna excommunicationis ipso facto: obligat statim, quo ad fauorem, & eo vti potest talis Ecclesia, verum contrafacientes non incurrunt excommunicationem, nisi post duos menses à promulgatione earum.

De acceptatione Legum, an requiratur ad earum validitatem. §. 5.

1 *Quid dicendum de acceptatione legum.*

2 *Quæ lex censenda dura, quæ irrationabilis.*

1 QVÆSTIO. *Quid censes de acceptatione legum?* R. S. P. Dico primum. Non peccant, qui legem duram, & prudenti iudicio irrationabilem non acceptant. Ita Gloss. cap. 1. de Treug. & Pace, & Felyn. ibidem. Colon. 4. Gemin. cap. In istis. §. Leges. d. 4. Cardin. Alex. ibid. Zabarel. in proem. Cle. §. vniuersit. qu. 2. Iason L. Non nouit. 2. Cod. de iudic. Nau. in sum. capit. 33. nume. 41. Probatum capit. In istis. §. leges. dist. 4. vbi leges confirmari dicuntur cum moribus vrentium confirmantur, & ex L. De quibus ff. de legib. hisce verbis. *Nam cum leges nulla alia causa reneant, quam quod iudicio populi receptæ sunt. Ratio est quia multæ leges moribus patriæ non conueniunt.*

2 QVÆST. *Quæ lex censenda est dura? quæ prudenti iudicio irrationabilis?* R. S. P. Si civilis est, quæ patriæ moribus contradicit. Si Ecclesiastica, quæ antiqua, & laudanda

li. cor.

bili consuetudini aduersatur. Ita Ancharan. *conf.* 214. Turrecrem. *capit. In istis. §. ideo. dist.* 4. Dico secundum. Quando lex est conuenticus, & rationalis, peccant illam non acceptantes ab initio. Postquam tamen per contrarios actus non recipitur, cessat illius obligatio. Hæc conclusio certa est, & indubitata apud omnes.

## CAPVT IV.

*De obligatione legum humanarum, quo ad forum internum.*

Quantum obliget lex humana actus internos, §. I.

I Quid possit lex humana erga internos actus.

I QVÆSTIO. Potestne lex humana quidquam præcipere quo ad actus internos? RESP. Actus purè interni non non subiacent legi humanæ. Ita omnes ferme Theologi. Durand. *in 4. d. 17. quæst.* 1. Palud. *quæst.* 7. & *d.* 15. *quæst.* 5. art. 2. Gabriel. *quæst.* 1. *dub.* 5. & *lect.* 04. *in canon. lit. K. Med. de orat. quæst.* 29. Tabie. *excom. 1. casu.* 4. *num.* 4. Cast. 2. *de iuss. har. pun. cap.* 13. Ierson. *Alfab.* 12. *lit. C. & D.* Almain. *de potest. Ecclesiæ. cap.* 7. D. Ant. 3. *p. tit.* 13. §. 4. *cap.* 7. Sylu. *hora canon. quæst.* 1. & *excommun. 7. quæst.* 2. videturque expressa D. Thom. 1. 2. *quæst.* 904. *art.* 4. his verbis. *In his que pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed Deo. Eam tenuere ex canonistis Nauar. in sum. cap.* 27. *num.* 38. & *de pœn. disp.* 5. *numer.* 24. Couar. *Reg. pœnarum. num.* 7. Simanch. *instit. capit.* 24. Couar. *Hostiens. cap. Mulieres.* Adeo denique est communis, vt merito dixerit Nauarrus aliam à paucissimis Theologis defendi, & à Iurisperitis sacræ Theologiæ omnino expertibus. Probatur ex *cap. Erubescant. d.* 37. *cap. Consulisti 3. quæst.* 5. *capit. Cogitatio. de pœnit. d.* 1. *cap. Humana. 22. quæst.* 5. *Sicut. de simonia cap. Tua nos. eodem tit.* In quibus dicitur, occulta, & incognita soli Deo esse relinquenda, neque pertinere ad iudicium Ecclesiæ. Ratio est.



Quoniam eiusdem legislatoris est actus iudicandi, quod prohibet, aut iubet, sed legislator humanus nequit iudicare de actibus mere internis. Ita enim D. Paulus, 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare, quo ad usque veniat Dominus, qui manifestabit consilia cordium.* Quasi diceret ad solum Deum pertinere de arcanis animi iudicare, quod quidem soli Deo patent, 1. Reg. 16. ergo non potest ille actus, vel præcipere, vel prohibere. Dico secundum. Actus interni prout circumstantiæ sunt, & qualitates actuum externorum, possunt ab Ecclesia & præcipi, & prohiberi. Ita Maior. in 4. d. 12. qu. 7. §. Contra primam conclusionem, Adrian. *quæst. 2. de confess.* Pygius *de Ecclesiast.* Hierarch. Rosel. *absolutio. 1. nu. 28. ibid. de potest. Papa. qu. 13.* Caietan. 2. 2. qu. 11. art. 4. & in sum. tit. *heresis.* Dried. *de libertate Christiana. lib. 3. & 5.* Soc. *de iust. lib. 10. quæ. 5. art. 5.* Ledesm. 2. 4. quæ. 16. art. 6. dub. 4. D. Anton. 3. p. tit. 24. cap. 4. Nau. *de sim. nu. 20. & 21.* Probatum ex Clem. 1. *de heretico.* ubi excommunicantur Inquisitores, qui odio, vel amore inquirunt iniuste, aut omittunt inquirere de hæreticis suspectis. Et Clemens. 2. *de statu monachorum.* ubi excommunicantur religiosi, qui animo nocendi suis prælati ad curias Principum sæcularium se conferunt. Ex *capit. De lentis, de celeb. Miss.* ubi præcipitur Ecclesiasticis recitatio horarum studiosa, atque deuota per internam mentis attentionem, & animi effectum, ut ait D. Thom. 4. d. 15. qu. 4. art. 2. qu. 4. ad 2. & Nauar. in sum. cap. 25. nu. 16. Item idem prohibetur de iure civili: nam *L. Is qui cum telo. Cod. ad L. Corneliam de sicarijs* punitur gestatio teli animo occidendi hominem Ratio est, quoniam actus humani cadunt sub legem humanam, prout boni, vel mali, sunt autem boni, vel mali ab actu interno, ergo prout sic cadunt sub legem humanam.

De obligatione legum humanarum  
in conscientia quo ad  
culpam. §. 2.

- 1 An leges Ecclesiastica obligent in conscientia.
- 2 An leges civiles obligent in conscientia.
- 3 An præceptum parentum obliget in conscientia filios.

- 4 An præcepta viri obligent in conscientia uxorem.  
 5 Quid dicendum de præceptis dominorum erga mancipia.  
 6 An leges humana obligent cum probabili vita periculo.

**Q**UÆSTIO. Suppono, ut Catholicam veritatem, dari in Ecclesia legitimam potestatem condendi leges, ut clareretur ex Concil. Constant. session. 8. & 11. damnando Ioannem VVicleph, & Ioannem Hus. Item ex Bulla Leonis II. damnando Lutherum, quæ videri licet apud Evgium libr. 5. Eccles. Hierarch Clitov. lib. 1. Ante Lutheri Rosenjem ad art. 27. Lutheri, & Bellarm. libr. 4. de Roman. Pontifice. Suppono item, ut catholicam veritatem dari in Republica civili eandem potestatem ex iure ipso naturali. Quæro igitur virum leges Ecclesiasticæ obligent in conscientia? R E S P. Leges Ecclesiasticæ, etiam latæ de ijs, ad quæ ex iure diuino non tenemur, obligant in conscientia. Hæc est catholica veritas. Probatum ex capit. 15. Actov. vbi Apostoli præceperunt Christianis per verba obligantia in conscientia, quædam ad quæ ex diuino iure minime tenebantur. Ita enim decreuerunt: *Visum est spiritui Sancto, & Nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, nisi hæc necessaria, ut abstinere vos ab immolatis.* Hæc & aliæ Apostolorum, leges appellantur eodem capit. Præcepta Apostolorum capit. vero, *Ibid.* nuncupantur dogmata. Diuus vero Chryostomus homil. 33. in acta Apostolorum vocat imperia. Quod verò obligauerint in conscientia, constat ex eo, quod dicantur necessaria: nimirum ad salutem animæ. Quod vero abstinere ab immolatis esset ex solo iure positiuo, docet Diu. Chryostomus homilia 23. in Acta. Modo vero per dissuetudinem talis lex abrogata est, ut notauit Viçt. in relect. de temperantia, num. . Qua de re latè Baron. tom. 1. Annalium, circa annum Domini, 51. & ostendunt Med. tract. de ieiunio. ca. De eius instit. Ledesm. 2. 4. qua. 17. art. 5. Maior. in 4. d. 15. qu. 4. Probatum itè ab experimento, & cōfessio apud oēs. Enim vero lex de ieiunio quadragesimali, est mere Ecclesiastica, ut cōstat: ex iure. n. diuino nō tenemur ieiunare quadraginta dies, ut probat aucto-

res proximè citati. Item lex de non laborando diebus dominicis, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæsti. 122. art. 4. ad 2. Cou. lib. 4. resolut. cap. 19. num. 6. Nau. cap. 13. num. 1.* & tamen huiusmodi leges obligant in conscientia. Nam culpam frangentis ieiunium adeo olim detestabatur Ecclesia, vt eam grauissimis pœnis affecerit, quoniam *can. 60. Apostolorum* frangens clericus deponeretur, frangens laicus excommunicabatur, sicuti decretum est per Concil. Grangrense. *cap. 29.* In Concil. vero Tolet priuabatur communione in Paschate. Præterea non est contra diuinum ius clericos addiscere medicinam: & tamen excommunicantur clerici, qui ultra duos menses in seculari medicinæ operam dederint, aut ciuili iuri. *capit. super specula ne clerici, vel monachi, & Clementin. Ne in agro statu monach. §. quia vero.* Item non est contra ius cœnasticum arma intra monasterij claustra habere sine licentia Abbatis: & tamen excommunicantur monachi calumniantes Clem. *Ne Clerici, vel Monachi.* Tam grauis vtpœna non imponitur, nisi ex culpa contra legem. Quæ vero huiusmodi culpa sit mortalis, constat ex grauitate pœnæ, quæ vt iusta sit, debet æquiparari culpæ.

2 QVÆST. *Quaro vltierius, obligentne leges ciuiles in conscientia?* RESP. Obligant. Et oppositum asserere hæreticum proximum est, aut saltem temerarium. Constat ex Paulo, Roman. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi damnationem acquirunt.* Colligitur vero ex sequentibus verbis loquitur Apostolum de auctoritate damnatione, ait enim: *Ideo necessitati subditi estote, non tantum propter iram, sed propter conscientiam,* hoc est, non solum propter præsentem vltionem, sed propter futuram in iudicio diuino, accusante conscientia, vt interpretatur Ambrosius. Longiores probationes, & restitutiones legere est apud Soc. 1. *iust. quæst. 6. art. 4. Cou. lib. 5. de leg. pœn. capit. 4. Couar. regul. peccatum. 2. p. 1. num. 3. Alciatum cap. Cum contingat. de iureiur.*

3 QVÆST. *Quid censet de præceptis patrum erga filios?* RESP. Obligant in conscientia, etiam ad mortale. Cuius rei ex capit. *Si dominus. 11. quæst. 3.* sed de hoc quamquam iam respondi ad 4. præceptum, volo refricare memoriam & iterum quid in hac materia occurrit, propalare. *Pa-*

batur igitur efficacius hæc veritas ex *capit. 23. Deuteron.* ubi decernebatur pœna mortis filio contumaci : pœna autem mortis in lege veteri non nisi pro culpa mortali imponebatur, vt tradit *Vi&t. de potest Eccles.* Hæc vero contumacia, vt sit mortalis, debet esse erga præceptum rei grauis. Grauis vero res esset, si pater præciperet filio, vt caueret à noxijs sodalium familiaritatibus. Aut si præciperet filia, ne è fenestra prospiceret libidinose prætereuntes ad stuprum, vel clandestinum matrimonium. Aut si itidem præciperet, vt illum potius, quam hûc coniugem accipiat, quia id interest ad status, & dignitatis decentiam. Ita *Nauar. ca. 14. num. 12. & Medin. de Instr. conf. cap. 14. §. 14.*

4 QVÆST. *Quid censet de præceptis viri, erga uxorem?*  
RESP. Tenentur vxores præceptis coniugum suorum sub culpa lethali, aut veniali, iuxta grauitatem, leuitatemve materiæ præceptæ obedire in conscientia. claret ex *D. Paulo, Ephes. 5. & Coloss. 3. Mulieres virus suis subditæ sint, sicut Domino.* Grauis vero res esset, si ex iusta causa maritus præciperet, ne domo exeat. Ita *Sot. 1. iust. quest. 6. art. 4. ad 2. Nauar. in sum. cap. 14. num. 20. Medin. de Instru. confess. cap. 16. §. 13. & alij plures.*

5 QVÆST. *Quid opinaris de præceptis dominorum erga mancipia?* RESP. Mancipia, si seruitus iusta sit, obedire tenentur in conscientia in ijs, ad quæ se extendit potestas dominorum, si præcepta licita sint, & honesta. Claret ex *D. Paulo Ephes. 6. & Coloss. 3. & ex 1. canonica Diu. Petri, & ex cap. 1. de coniug. seru.* Non se vero extendit potestas dominorum quo ad matrimonium mancipiorum. Et ideo dominus impediens, aut efficaciter præcipiens seruo ne contrahat, peccat mortaliter, vt docet *Nauar. cap. 14. num. 21. §. 4. Scot. in 4. d. 36. quest. vnica. Richard. ibidem. art. 4. quest. 1. & alij, quos Deo auxiliante referam in materia de Matrimonio.*

6 QVÆST. *Obligatne lex humana ad sui obseruationem cum probabili mortis periculo?* RESP. Dico primum. Interueniente fidei, aut Christianæ religionis iniuria per contemptum legis aut virtutis, quolibet lex, etiam leuissima, obligat cum mortis periculo. Ita *Maior. in 4. d. 18. qua. 4. Sot. d. 22. quest. 1. art. 4. & de iust. lib. 1. quest. 6. art. 4. Ledesm. 2.*

defm. 2. 4. qu. 2. art. 3. Couar. ca. Alma mater. 1. p. §. 3. num. 9. & Doctores communiter. Ratio est. Quia interueniente hoc contemptu, & iniuria, nequaquam potest actus cohonestari. Dico *secundum*. Interueniente scandalo potius mortem oppetere tenemur, quam transgredi leuissimam mortem. Probat *ex 2. Mach. 6.* vbi Eleazarus mortem potius elegit, quam simularet comedisse carnes, lege prohibitas, ne adolentes scādalizarentur. Dico *tertiu*, Sublato contemptu, & scandalo, nulla lex humana regulariter obligat cum mortis periculo, nisi in rebus maximi momenti. Ita *Medin. 1. qu. 90. art. 4. Syl. verb. metus. qu. 7. Angel. in morali. cap. 6. Felynus cap. 1. nu. 48. Nauar. in sum. ca. 15. num. 48.* & omnes Auctores primæ propositionis. Probat in primis ex declaratione Ecclesiæ Nam *capit. Consilium, de obseru. ieiunij.* dicitur, propter periculū mortis, & ægritudinis posse solui ieiunium. Deinde ratione. Lex diuina positua non obligat cum tali periculo. Nam *Dauid* propter necessitatem comedit panes propositionis, quod non licebat, nisi sacerdotibus, nec peccauit, vt constat ex approbatione Christi Domini, *Matth. 20.* qui eo facto excusauit Discipulos euellētes sabbatho spicas, & probat *D. Thom. 3. p. qu. 40. art. 4. ad 3.* Imo neque ipsa lex naturalis: illa enim iubet debitum reddere coniugiperenti, & tamen excusatur à redditione coniux, ob periculum probabile mortis, aut grauis ægritudinis, vt docet *D. Tho. in 4. dist. 32. qu. unica art. 1.* Ioan. *Med. Cod. de ressit quæstion. 1.* *Catech. in sum. verb. Matrimonium.* de quate longior in propria materia redibit sermo; ergo nec obligabit lex positua humana. Dixi (regulariter) quia Rex potest sub mortali obligare subditos, vt eant ad bellum iustum cum periculo mortis. Et Episcopus præcipere potest sacerdoti, vt tempore pestis adfit ægrotantibus ad subueniendum ægrotis, & periclitantibus in vita spiritali. Ita constanter Doctores contra *Almainum tract. 1. §. 5. prop. 4. suar. moralium.* asserentem per metum cadentem in constantem vitum excusari homines in ijs, quæ sunt mala, quia humana lege prohibita. Verumtamen quamuis à communi Doctorum, nunquam recedendum sentiam absque euidenti ratione, facile soluuntur superiores rationes, quia in priori casu, quiuis singularis tenetur subire

subire periculum mortis pro bono communis pacis. In secundo vero, quiuis tenetur subire damnum vitæ temporalis pro bono proximi spirituali in illâ extrema necessitate, & ideo dici potest obligare ad id ex ipso iure naturali. Potest vero Rex, & Episcopus cogere quemuis ad implendum id, ad quod tenetur iure naturali.

De obligatione humanarum legum pœn-  
alium in conscientia quo ad  
culpam. §. 3.

- 1 Quot modis fiat lex pœnalis.
- 2 Quantum obligat in conscientia lex pœnalis.
- 3 Quæ est lex præsumptiua.
- 4 Quantum obligant leges præsumptiua.

1 **Q**VAESTIO. De obligatione legum pœn-  
alium, quo ad culpam in conscientia te interrogaturus, prius qua-  
ro, quot modis fiant leges pœnales? R E S P. Duobus.  
Aut enim lex est purè pœnalis, hoc est decernens pœ-  
nam tali, vel tali delinquenti in lege diuina, vel natu-  
rali. Qualis fuit in lege veteri circa filios in parentes ma-  
ledictos. *Leuit. 20. Qui maledixerit patri, aut matri,  
morte morjatur.* Aut est mixta, nimirum illa, quæ ali-  
quem actum præcipit, & transgressori pœnam apponit,  
actum inquam, ex eo malum, quia ab humana lege pro-  
hibitum.

2 **Q**VAEST. Quantum obligat in conscientia lex pœnalis?  
R E S P. Vtraque huc pure, siue mixte pœnalis obligat in  
conscientia pro ratione materiæ parua, aut magna. Ita  
D. Tho. 2. 2. qu. 108. art. 4. ad 2. Sot. 1. iust. qu. 6. ar. 5. Ioan.  
Medin. de rebus restit. Syl. Inobedientia. §. finali. Angel. ibid.  
Medina. 1. 2. questio. 90. artic. 4. Couarru. regul. pecc. 2. p. 8. §.  
numer. 2. Ratio est. Quia lex mixte pœnalis præter pœnã  
appositam habet rationem præcepti, ergo in ea datur  
obligatio præcepti. Imo roboratur tale præceptum per  
pœnã, sed obligatio præcepti, obligat in conscientia: ergo  
& cetera. Lex vero pure pœnalis apponit iustam pœnam:  
pœna vero iusta non debetur, nisi culpæ, vt aduertit D.  
August. 1. retract. cap. 9. & D. Thom. 1. 2. quæst. 87. artic. 7.

Castro.

Castro. 1. de leg. pœn. cap. 3. vbi laudat dictum Gersonis *l. 1. de iust. spirit. afferentis culpam*, & pœnam dici correlatiue. Atque ex diuersitate culpæ, orta est diuersa appo-  
 sitio pœnæ maioris vel minoris. Confirmatur a similitu-  
 dine, & paritate rationis, præceptum diuinum positiuum,  
 quo Deus prohibuit primis parentibus etum pomi, ha-  
 buit appositam pœnam, & tamen obligauit eos in con-  
 scientia; ergo sic obligabit lex positiuæ pœnalis purè hu-  
 mana.

3 QVÆST. Rogaturus de legibus præsumptiuis quantum  
 obligent ad culpam, rogo prius, quæ est lex præsumptiuæ? RES.  
 Illa, quæ procedit ex præsumptione veri, siue a parte rei  
 sit verum, siue falsum.

4 QVÆST. Quantum obligant huiusmodi leges præsum-  
 ptiuæ? RES. Si res ita se habet, vt lex præsumit, certum  
 est obligare in conscientia. Dico secundum. Actus vel  
 contractus in rei veritate factus non seruato ordine le-  
 gis præsumptiuæ illum actum annullantis, tenet in con-  
 scientia. Ita Innocent. cap. Quapropter, de elect. cap. Si cele-  
 brat, de cleric. excommun. Panorm. cap. 1. de restit. in integri.  
 Dominic. cap. 1. de sponsalib. in 6. Iason. L. si post diuis. Digest.  
 de iur. & fact. ignor. Abb. cap. relatum de testibus. Gloss. L.  
 Cum illi. §. ea Digest. de tra. fact. fauetque lex ibidem, cum  
 dicit valere transactiones absque solemnitate, quando  
 continent utilitates eius in cuius fauorem solemnitas  
 requirebatur. Imola. L. Cum lex. Digest. de fide iussor. cum  
 cum Tiraquell. & alijs, quos citat Pinel. 3. p. Nauarrus  
 cap. 25 numer. 2. Angelus Lex. §. 4 Syluelt. ibidem. §. 9  
 casu 3. Adrianus quodlibet 6. Couarruias cap. 1. numer. 6.  
 de testam. Felynus ad cap. Canon. stat. 39. eamque appellat  
 communem Theologorum sententiam. Barthol. Leg. 1.  
 numer. 45. Cod. de sacrosanct. Eccles. Ideo validi sunt in con-  
 scientia contractus facti a minore, vel muliere sine frau-  
 de contra formam legis, vt notat Iason citatus. Valida  
 item electio in conscientia facta cum vero consensu, non  
 tamen seruata forma canonum in eligendo, vt notat  
 Panorm. & Dominicus citati. Idem dicendum de testa-  
 mento, vero animo, sine vi, & fraude facto, quamuis  
 desint solemnitates ciuiles, vt notat Anchar. & Nau.  
 supra. Hinc dico tertium. Non peccat, qui vitur actu,  
 siue

sive contractu valido naturaliter, quamuis factus sit contra legem positivam illum irritantem. E contra vero peccat, qui contra obligationem naturalem se tuetur exceptione legis præsumptivæ. Exemplum primæ partis est: si hæres factus per minus solemne testamentum bona defuncti retineat. Vel electus, non servata iuris solemnitate, habeat beneficium. Si enim nec fraus, nec vis intercessit, tuti sunt in conscientia. Exemplum secundæ partis est. Si filius familias reddere nolit accommodatas pecunias, sequæ tueatur exceptione Senatusconsulti Macedoniani prohibentis creditoribus tale mutuum, & eos damnantis iacturæ mutuatæ pecuniæ, non est tutus in conscientia, ut notat Adrianus *supra*. Item quamuis lege civili non detur actio contra vendentem, vel eumentem iniuste, nisi deceptio excedat medietatem pretij iusti; tamen qui decepit, restituere tenetur in conscientia. Idemque dicendum de eo, qui se tuetur exceptione rei iudicatæ, ut habetur *ff. 44. tit. 2.* nam si cognoscat sententiam fuisse iniustam, restituere tenetur quidquid ex vi illius iniuste possidet. Dico *quartum*. Non peccat, qui transgreditur legem in falsa præsumptione fundatam. Aut non servat iudicis sententiam pro falsis probationibus laram *Ira cap. 1. de sentent. & re iudic. in 6.* si casus expressus *cap. Trans. de restit. spoliator. & cap. Inquisit. de sent. excomm.* circa eum, quem Ecclesia excommunicat, ad cohabitandum cum reuera non sua, probata tamen externe sua. Exemplum etiam est, hæres qui bona fide non fecit inventarium, iste ex præsumptione obligatur ad solvenda debita. § *sanximus. Authent. de hered.* In conscientia tamen non tenetur ultra vires hæreditatis. Ita Barthol. *in repetit. lib. 1. Cod. de sacros. Eccles.* cum Bald. & Andr. quos citat, & sequitur Iason, *in rubr. ff. de acquirend. hæredit.* Exemplum etiam est ille, qui delictus se recipiendæ pecuniæ, confessus est se illam recepisse, postea ex confesso damnatur ad solvendum: iste non tenetur in conscientia stare tali sententiæ, ut manifestum est.

(...)

Quæ



Quæ intentio Legislatoris obliget ad culpam grauem, & leuem. §. 4.

**Q**VAESTIO. Quomodo internosci poterit, quæ lex obliget ad mortale, quæ ad veniale peccatum, ex intentione Legislatoris? RES P. Dico primum. Obligatio ad culpam pendet ex intentione Legislatoris. Ita D. Thom. in 4. d. 15. quæst. 3. art. 3. §. 4. Gabr. in 4. d. 16. quæst. 4. art. 3. Caiet. præceptum §. intentio. Ratio est. Quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem. Dico secundum. Intentio Legislatoris non potest obligare ad quantumcumq; velit. Ratio est. Quia irrationabile esset pro re leuissima obligare ad mortalem culpam. Ita Driednum. 2. de libert. Christian. ca. 1. & Castro. 1. lib. de leg. pan. ca. 5. Nam neque ipsa lex diuina obligat semper ad mortalem culpam ex suo genere, vt lex de non mentiendo, &c. & alia. Dico Tertium. Intentio Legislatoris, volentis obligare quantum potest per legem præceptiuam in materia graui, nimis ponderosa & magni momenti ad bonum commune, seu Ecclesiasticus sit, seu secularis legislator, obligat ad mortale. Ita Victor. de potest. ciuil. num. 29. Sot. 1. iust. quæst. 6. art. 4. Angel. lex. Syl. ibidem. Panormit. & Felin. ad cap. Concupis. de constit. Talis intentio cerneretur in præcepto, quo tempore famis, vel belli Rex imperaret, ne frumentum, armave exportentur e Regno. Id enim vergeret in magnum detrimentum regni.

Quæ verba legis inducunt culpam grauem, quæ leuem. §. 5.

**Q**VAESTIO. Quæ verba legis ostendant obligationem ad grauem, aut leuem culpam? RES P. Dico primum. Nullum est verbum, secundum se sumptum, ex cuius præcisa significatione colligatur legis obligatio grauis. Ita Nauar. ca. 23. nu. 5. Caiet. 2. 2. qu. 186. Castro. de leg. pan. ca. 1. Dico secundum. In iure canonico, quando lex circa rem grauem proponitur per verbum præcepti, aut æquipollens, obligat ad mortale. Ita docent Angel. lex verb. Syl. verb. præceptum. Gabr. Caieta. Castro. Nauar. citati supra Canonist. ca. concupis. de constit. Ita manifeste decernitur. Clem. de verb. sig. circa regulam D. Franciscei, secun-

secundum ius commune. Dico *tertium*. Hęc verba æquivalentia præceptiuis: Tenentur necessario. Non licet omnino. Necesse est, & similia. In virtute obedientiæ. Sub interminatione diuini iudicij. Auctoritate Apostolica. Districte, & similia verba indicant obligationem grauem. Ita Med. *qu. de necessitate ieiunij*. Dico *quartum*. Hęc verba, Debet, Non oportet, & similia, consideranda sunt ex materia circa quam traduntur, & iuxta grauitatem, aut leuitatem materiæ de ijs iudicandum est. Ita Vocabularium vtriusque iuris in *verb. Debet*. Panorm. *ca. Intellexi. de iudic. Felyn. cap. Nam concupis. Gab. in 4. d. 16. qua. 3. art. 1. Sylu. verb. præceptum. qu. 2.* colligitur ex *cap. 1. de desponsat. impub. & ex Concil. Trid. sess. 2.* Dico *quintum*. Hęc verba Decernimus. Statuimus. Ordinamus, ex vsu non habent in iure canonico vim obligandi ad mortale. Ita D. Tho. 2. 2. *qu. 186. art. 9. ad 2.* Dico *sextum*. In iure ciuili non est iudicanda culpa secundum intentionem Legislatoris ex verbis, quibus legem decreuit, sed ex materia, & circumstantijs eius. Ita Nauarr. *supra num. 52.*

Quæ pœna apposita legum transgressoribus, indicat culpam grauem, quæ leuem. §. 6.

**Q**VAESTIO. Quæ pœna apposita legum transgressoribus grauem, aut leuem culpam indicabit? RESP. Dico primum. In iure ciuili pœna capitis, carceris, exilij perpetui, proscriptionis omnium bonorum, & similes arguunt culpam mortalem. Leuiiores vero pœnæ, vt carceris, aut exilij ad breue tempus, pecuniæ mulcta, & similes leuiiores, arguunt culpam venialem. Ita Castro *de leg. pen. cap. Sylu. verb. præceptum, & Armil. ibidem numer. 3. Sot. 1. iust. quaest. 6. art. 4. Caietan. verb. transgressio præcepti*. Ratio est. Quia pœna, iuxta regulam rationis adæquanda est culpæ, alioqui iniuste fuit apposita pœna grauis, pro culpa leui, & è contra. Dico *secundum*. In iure canonico pœnam excommunicationis, seu latae, seu ferendæ sententiæ, obligat ad mortale. Ita colligitur ex *cap. Episcop. & cap. Nullus. 11. quaest. 3.* Nisi ante iudicis sententiã concedatur ab ipsa lege admonitio, nimirum: nisi admonitus

nitus

nitus resipiscat, excommunicetur: hæc enim verba indicant leuem culpam. Sic adnotarunt Caietan *verb. preceptum §. pœn. Nauar. sup. numer. 52. Henriq. de synod. numer. 262.* Pœna tamen suspensionis non arguit obligationem ad mortale. Ita Caiet. *verb. suspensio. Nauarr. cap. 27. numer. 151.* Neque item pœna irregularitatis. Ita Castr. *citato loco & Nau. num. 220. Couar. relect. de homicid. p. 2. §. 4. numer. 9. claret ex capit. Tua nos. cap. Ad audien. primo de homic. voluntar. Turrecr. ad capit. quauis. de consecr. dist. 4.* Ratio est. Quia huiusmodi pœnæ incurri possunt ob totam culpam venialem. Verumtamen pœna interdicti obligat ad mortale. Ita Sylu. *interdicti. 3. quest. 1. Sot. in 4. d. 22. quest. 3. art. 1. conclus. 3. Couarru. capi. Alma mater. 2. p. §. 1. numer. 5.* Ratio est deducta ex his Doctoribus, quoniam huiusmodi pœna non incurritur, nisi propter grauem culpam.

## CAPVT V.

*De obligatione legum humanarum, quo ad culpam.*

*De obligatione subeundæ pœnæ impositæ, per iudicis datam sententiam. §. 1.*

- 1 *An reus teneatur subire pœnam à iudice iudicatam.*
- 2 *An mortuus possit damnari pro crimine commissum dum viueret.*

1 **Q**VAESTIO. *Post iustam sententiam iudicis latam, ut neturne legis transgressor ad pœnam impositam?* RES. 2. Tenetur ad eam patiendam. Ita D. Thom. 2. 2. quest. 62. art. 3. Caietan *ibidem.* Sylu. *verb. ex §. 9. Ang. ibidem §. 4. Gab. in 4. d. 15. quest. 4. art. 2. concl. 2. Maior. ibid. quest. 2. Sot. i. iust. quest. 6. art. 6. conclus. 5. Bald. in L. Id quod pauperibus. quest. 9. Cod. de Episcop. & cleric. Felyn. capit. 1. de conf. in 4. Nauarr. cap. 23. numer. 66. Dico secundo. Quando pœna est atrox, ut mortis, aut alterius grauis damnae corporalis, non potest quis cogi ad eam exequendam. Ita*

Simanch.

Simanch. in institutionibus. titul. 4. numer. 201. Nauarrus comm. 4. de regul. num. 63. Compelli tamen potest circa media remote ad id ordinata, vt est procedere ad locum supplicij, ascendere scalam, &c. Ita cum citatis Doctoribus, Angel. verb. Pœnitentia §. 3. Couarru. 2. p. epit. cap. 6. §. 2. numer. 10. illat. secundo de pœnitent. confiscat. vbi asserit non teneri reum bona sua offerre fisco, sed obedire iudici exequenti, & non resistere ministris, nec aliquid ex bonis subtrahere. Idem dicendum est de verberatione infami, de mutilatione membrorum, & alijs atrocibus supplicijs. Ratio est. Quoniam abhorret à natura, vt idem in se atrocem pœnam exequatur. Dico tertio. Pœnas leuiiores tenetur reus in seipsum exequi. Ita omnes citati Doctores. Primæ vero leuiiores censentur exilium vsq; ad tempus per sententiam latam impositum. Incarceratio item posita per sententiam in criminis pœnam, verberatio inter religiosos ad paternam correctionem, vt notat Castro. 2. de leg. pœn. cap. 3. Nunquam tamen pecuniæ solutio imposita per sententiam, in criminis pœnâ, vt satisfiat soli iustitiæ, non parti, censetur pœna leuis, iuxta Sor. & præxim, & ideo non debetur antequam exigatur.

2 QVÆST. Poteruntne leges damnare mortuum in pœna bonorum, & pecuniarum, pro crimine, quod dum viueret commisit? RESP. Si pœnæ ipso facto, & iure post commissum crimen debeantur, potest post mortem scelerati, ferri sententia declaratoria eorum, & ad illas soluendas tenentur hæredes, fisco, vel alij operi pio applicandas. Si exercetur in hæreticis, vt notat Castro. lib. 2. de iust. hæret. pun. cap. 19. & Sylu. verb. hæres. ex Panormitano communiter recepto. Et patet ex cap. Accusatus. de hæret. in 6. §. in eo. Idem dicendum est, de Apostatis: de crimine læsæ maiestatis, & alijs, vt notat Gloss. lib. 1. Cod. Si reus accusatur. Et constat ex L. Eo missa. ff. de publican.

### De obligatione subeundæ pœnæ impositæ ab ipso iure. §. 2.

- 1 An debeantur pœnæ à die commissi criminis.
  - 2 De verbis quibus significatur in iure, incurri pœnam
- Medull. Casuum. X apposi-

appositam à momento commissi criminis.

**Q**VAESTIO. Debeturne pœna, ipso iure imposita, in conscientia à die commissi criminis, ante sententiam iudicis declaratoriam? RESP. Dico primum. Quando in lege apponitur pœna, dicendo solum, Ipso iure, vel ipso facto, nec alia adhibentur verba, non tenetur reus, ante iudicis sententiam pœnam exequi. Ita Calderin. tractat. de heretic. capit. 25. Francus in 6. de homicid. Navar. cap. 25. num. 118. Sylu. verb. emphyteus. Imol. ad L. Manichæos Cod. de heret. illis verbis ( Qui manichæus fuerit conuincitur ) oportet igitur, vt conuincatur. Ratio est. Quia nemo tenetur suum crimen manifestare non rogatus iuridice cap. Quos aliquando de pœnitentijs. d. 1. Id autem necessario sequeretur, si reus teneatur in conscientia ante sententiam bona sua fisco offerre, officium aut beneficium relinquere. Est denique pro hac sententia ipsa consuetudo, optima legum interpret, vt adnotauit Nau. sup. Dico secundum. Huiusmodi rei non ipso iure amittunt dominium, & possessionem bonorum aut beneficiorum. Ita Couar. 2. p. epit. cap. 6. §. 8. Sot. 1. iust. quasi. 6. art. 6. Navar. com. de datis, & promissis, notabili 31. num. 41. quibus in sum. cap. 23. num. 67. oppositum tenuerit Syl. confess. 1. q. 19. casu. 3. Probatum conclusio quo ad dominium bonorum ex L. Qui & à quibus, vbi Paul. Iuriconsultus supponit reum læsæ maiestatis retinere dominium suarum rerum, & ex L. Maiestatis rei. Cod. ad legem Iuliam, illis verbis ( Ab eo die dignus est pœna ) expectanda nimirum post iudicis sententiam. Accedit L. post contractum. ff. de donat. vbi habetur valere donationes factas à reo post contractum crimen, cui est annexa pœna amissionis bonorum ante sententiam iudicis reuocantem ipsas donationes.

Probatum deinde conclusio, quo ad beneficia Ecclesiastica ex cap. Vt commissi proban. de her. in 6. illis verbis. Priuandi, vel priuandos esse denunciandi, nam illa particula, vel, non sumitur disiuncte, sed expositiue, vt notat ibidem Geminianus, Ioannes Andr. & alij. Eandem conclusionem circa officia ciuilia probat Molin. tom. 1. iust. tractat. 2. disputat. 87. Ratio totius conclusionis sumitur ex intentione legislatoris nolentis iuxta Doctorum interpretamen-

pretamentum obligare reum ad tantam acerbiteriam exequendam per se ipsum circa impositas pœnas. Hinc infero primum, huiusmodi reos posse viuere ex rebus suis, alere familiam, alienare bona titulo gratuito, donando, mutuando, dando: dummodo non fiat in fraudem fisci, qui post sententiam ignorare potest, apud quem sint ea bona sic alienata. Alienare quoque potest titulo lucratorio. Non tamen titulo oneroso, nec vnde resultet prejudicium tertio. Ratio est. Quoniam fiscus potest omnia hæretici bona a die commissi criminis occupare, vbi-  
 cunque fuerint reperta, etiam non soluto precio, vt notat Angel. *verb. pœna. §. 1.* Nisi contraheus cum tali criminoso, sciat periculum, & velit sic periculose contra-  
 here, vt notat Molin. *supra citatus.* Hæc illatio est Bart. *l. Post decretum. Sor. Syl. Vict. & Molin. locis allegatis.* Infero secundo: huiusmodi reos posse vti officio, & benefi-  
 cio, quo ante commissum crimen utebantur. Ideo gesta per eos valent. Ac proinde si fuerit parochus, aut Prie-  
 stus, exercere poterunt suum munus, nimirum conferre ordines, vel audire confessiones, vt asserit Richard. *in 4. dist. 28. qu. 1. art. 7. Sylu. confess. 1. quæst. 19.* si fuerit tabellio, poterit conficere publica instrumenta, valida, & firma, Adnotauit Gloss. *in Auth. de tabellionibus §. penult.* Quod similiter dicendum est, de alijs officijs.

2. QUÆST. Preter illa verba (ipso facto, vel ipso iure) solent addi alia verba, nimirum (Non expectata alia declaratione) sic habetur in Concil. Lateran. teste Nau. *cap. 27. num. 10. & in decret. Pij II. Extrauag. Ambitiose de rebus Ecclesia non aliena?* R. E. S. P. Hæc simpliciter verba non obligant in conscientia statim a die commissi criminis. Ita Simanch. *in cita nu. 44. Cou. 2. p. de sponsal. ca. 6. num. 10.* Imo nec si dicatur, (Nulla alia sententia expectata) Hæc enim verba non excludunt sententiam declaratoriam criminis, sed solum condemnatoriam. Si tamen addatur (Nulla alia expectata sententia declaratoria) vel (ipso facto) (Non erit tuta conscientia) vel quid simile, explicans mentem legislatoris, volentis obligare statim, secundum eadem verba iudicandum est. Ita intelligitur ab omnibus Concil. Trident. *sess. 23. cap. 1. de reform.* Priuatus fructibus non residentes ultra tres menses, qui ex tunc

ruto in conscientia eos percipere nequeunt, propter verba ipsius textus.

De obligatione subeundæ pœnæ mere  
priuatiuæ, à iure ipso im-  
positæ. §. 3.

**Q**UÆSTIO. *Quid censes de pœnis mere priuatiuæ?*  
R E S P. Dico primum. Excommunicatio, irregularitas, suspensio, & similes pœnæ, quæ priuatur solis bonis spiritualibus, statim obligant in conscientia, si ipso iure apponantur. Ita communiter Doctores, & obtinet praxis, quantumuis occultum sit crimen, vè constat ex Concil. Trident. cap. 6. de refor. vbi decernitur, posse Episcopum dispensare in irregularitate orta ex crimine occulto, præterquam in ea, quæ oritur ex homicidio voluntario.

Dico secundo. Qui propter crimen priuatur beneficijs, aut officijs, seu secularibus seu Ecclesiasticis habitis, non ideo priuatur habendis. Ita constat ex Clem. 1. §. ipsius de pœn. & ibi Gloss. verb. abstinere. Neque item vice versa, quoties priuatur habitis, inhabilitatur ad habenda. Ita Cou. 2. resolut. cap. 8. num. 4. Ratio est. Quia priuatio non est imponenda, nisi in casibus à iure expressis, vè notant Panor. mitan. cap. ultim. de iur. patron. cum Gloss. ibid. & quo ad hoc similis est irregularitati, quæ non oritur ex vilo crimine, nisi sit in iure expressum. capit. Is qui desent. excommun. in 6. Cum ergo in iure solum exprimitur, vt reus priuetur habitis, non debet fieri extensio ad habenda, nec vice versa. Et ideo, qui duo obtinet beneficia in eadem Ecclesia, si priuetur vno, non ideo priuatur altero. Ita Rebus de nomin. question. ultim. num. 7. de concess. preb. Clarius exemplum est in excommunicato, vel irregulari. Nam collatio facta excommunicato, vel irregulari, est ipso iure nulla, præterquam in certis casibus, quos afferunt Nau. cap. 27. num. 240. & Sylu. excommunicatio. 4. num. 4. & tamen excommunicatus, & irregularis non amittunt beneficia iam habita. Ita aduertit Nau. cons. 35. de sim. ex Innoc. in cap. cum nostris de concess. preb. Dico tertio. Lex pœnalis, reddens ipso iure inhabilem, & incap-

incapacem ad officium, aut beneficium, aut dignitatem obligat in conscientia, statim à die commissi criminis, ita Couarr. *reg. pec. 2. p. §. 8.* Caiet. *2. 2. qua. 62. art. 3. cum alijs.*

De pœna conuentionali, quantum obliget in conscientia. §. 4.

**Q**UÆSTIO. *Quid arbitraris de pœna conuentionali?*  
**R**ESP. Dico primū. Quando pœna conuentionalis debetur ad satisfactionem interesse, obligat in conscientia ad sui solutionem, antequam exigatur. Ita Caiet. *verb. pœn. Cord. lib. 1. quaest. 36. ad 2. contr. 1. conclus.* Ab. *regul. possessio 95. de regul. iuris in 6.* quem sequitur Felyn. vt refert I. Couar. *2. p. epit. num. 11.* & Nauar. *in Manuali.* Ratio est. Quia hic interuenit lucrum cessans, vel damnum emergens, licet ergo huiusmodi conuentionalis contractus, fiat in mutuo, obligat in conscientia, antequam exigatur, quoniam non exigitur ad ignorantiam, vel quid aliud impedimentum, nullus enim inuenitur, qui lucrum cessans, aut damnum emergens sciens, & volens liberaliter remittat. Dico secundū. Pœna purè conuentionalis, quæ non debetur ob interesse, sed solum ob amissionem, aut actionem aliquam culpabilem contra contractum, debetur quidem in conscientia, si petatur ab alio contrahente. Ita omnes Auctores superioris propositionis, & Nauar. *de pœn. d. 1. in 3. p. Gloss. numer. 20. & 21.* Ratio est. Quoniam in pœna conuentionali interuenit pactum, & promissio ad pœnam soluendam: at vero ex pacto, & promissione oritur obligatio naturalis, non debetur vero antequam petatur, quia contractus solum obligant secundum propositum contrahentium. *L. 1. §. & si conuenit. ff. de positi de regul. iuris in 6.* intentio vero, & propositum contrahentium in hac pœna conuentionali secundum receptam praxim, & consuetudinem est. vt hæc pœna soluat, si petatur. Quæ veritas probari potest à simili. Nam is, cuius prædium, aut res alia emphyteutica cecidit in commissum, non tenetur id manifestare illi, apud quem est dominium directum, vt probat Nauar. *com. 65. de pœn. nec emphyteuta tenetur in*



conscientia relinquere feudum, aut emphyteusim, que cecidit in commissum, vt late probat Tiraquel *ad Glossam Reuertatur.* & Syl. *verb. emphyteus. quest. 2.* post Bartho. qui duo requirit, vt emphyteuta cadat iure suo, voluntatem scilicet domini exigentis, & sententiam declaratoriam, quod fuerit in mora soluendi. Nam qui non petit solutionem, censetur eam remittere.

De pœnis appositis per statuta alicuius  
Communitatis, seu Colle-  
gij. §. 5.

**Q**VAESTIO. *Quid censes de pœnis quas apponunt statuta alicuius communitatis.* R E S P. Censeo teneri tales collegas in conscientia egredi a collegio etiam antequam requirantur, & soluere lumpsum, quos fecerunt, quamdiu vixerunt in collegio absque tali conditione. Ratio est. Quia talis collega erat ipso iure inhabilis ad electionem, & ideo si electio fuit nulla, etiam receptio, seu amissio nulla fait.

De pœnis appositis per statuta alicuius  
Vniuersitatis, seu Acade-  
miæ. §. 6.

**Q**VAESTIO. *Quid censes de pœnis, quas apponunt statuta alicuius Vniuersitatis, seu Academia, priuatiue suffragatores iure suffragandi.* R E S P. Sot. *1. de iust. quest. 6. art. 6.* Ledesm. *2. 4. qu. 118. art. 2. conclus. 3.* & alij respondent tales suffragatores non priuari in conscientia iure suffragandi, antequam condemnentur, licet non seruent condiciones appositae; & ideo si non laborent infamia, vere posse respondere cum amphibologia Reſtori, sub iuramento interroganti. Si tamen infamati sint de talibus conditionibus appositis, nequaquam posse vti amphibologia, & ipso iure priuari iure suffragandi. Ratio eorum est, quia aliter vix vlla esset collatio cathedrae, aut electio ad dignitatem ecclesiasticam facta tuta conscientia, constat enim plerosque ambitus corruptela implicatos (quæ præcipua est conditio ad vniuersitatis munia) suffragium præbere, ideo si quæ statuta contrariè

decer-

decernerent, inualida essent, quia periculosa, & ideo nulla vi pollerent, vt ex *supradictis* patet. Oppositum docet *Medin.* & *ij.* quos refert, *qua. citat.* & *Gom. supra leg. vetr. Taur. num. 15.* Dico tamen huiusmodi non conditiones, vel pertinere ad substantiam, vt ita dicam suffragatoris, vel ad præsumptionem iniusti suffragij. Ideo si conditiones pertinent, vt ita dicam, ad substantiam suffragatoris, quales sunt esse scholasticum, esse relatum in albo scholasticorum, residere in scholis, & alia similes obligant in conscientia ad veritatem aperiendam, & suffragium ipso iure est ipsis deficientibus nullum, & irritum, si vero derur iniuste, subiacer restitutioni damnorum. Dico secundum. Si conditiones pertinent ad præsumptionem (qualis est loqui cum candidato) quia præsuntur accepisse pretium suffragij dandi, vel negandi, & similes, non obligant in conscientia, quando reuera non fuit causa præsumptionis, quoniam si loquutus est, loquutus est de alijs rebus non pertinentibus ad suffragium, & ideo ita rogatus potest vti amphibologia, & negare se loquutum fuisse cum candidato, nimirum ad corruptelam,

## CAPVT VI.

De obligatione legum humanarum, quo ad personas.

De vi legum ciuiliu erga Ecclesiasticas personas. §. I.

- 1 An persona Ecclesiastica subiaceant legibus ciuilibus.
- 2 Quae leges dicenda sint Ecclesiasticae libertati contrariae.
- 3 Qua vi leges ciuilet obligant Ecclesiasticas personas.
- 4 An Principes saeculares possint legibus profusam clericorum licentiam cohibere.

X 4

5 An

- 5 An possint clerici suo foro, & priuilegijs renunciare.
- 6 Quando fruuntur Ecclesiastici priuilegio fori.
- 7 Quid faciendum clerico inuento à magistratu seculari in flagranti delicto.
- 8 An clerici accusati vt rei, puniendi sint pœna à legibus taxata.
- 9 Quæ dicendæ sunt Ecclesiasticæ personæ gaudentes priuilegio fori.

**Q**VAESTIO. Subiacentne Ecclesiastica persona legibus Principum secularium? RESP. Dico primum. In causis purè Ecclesiasticis ipso iure diuino sunt liberi ecclesiastici à potestate Principum secularium. cap. Certum est, & cap. Imperator d. 96. Ita Vict. de potest. Ecclesiast. quest. 2. tit. Vtrum clerici sint exempti. propos. 2. Fely. & Couarru. ad cap. Ecclesia de constit. post Panorm. & Innoc. & alios quos refert. Causæ vero purè Ecclesiasticæ sunt, quæ pendent ex Euangelio, ex Concilijs, & ex Sanctorum Patrum decretis, qualia sunt sacramenta, definitiones fidei, distributiones Episcopatum. Quam veritatem circa sacramentum matrimonij expresse decreuit Conc. Trident. sess. 24. canon. 22. sed hac de re in propria materia latius agemus, quia circa naturalem contractum in quo fundatur huiusmodi sacramentum, disponere potest lex civilis. Ratio est. Quia legislator non potest terere leges, nisi quatenus pollet potestate circa finem legum, finis vero legum circa causas mere ecclesiasticas, est vltima fœlicitas per media spiritualia conquirenda, sed potestas civilis nulla pollet potestate circa hunc finem, ergo &c. Dico secundum A legibus civilibus, quæ potestati Ecclesiasticæ non repugnant, nec sacris canonibus sunt contrariæ, sed aliquid generatim præscribunt circa temporalem gubernationem Reipub. cuius Ecclesiasticæ personæ non sunt exemptæ. Ita habetur cap. 1. de noui operis nunciacione. cap. Si iam adiutorium dist. 10. Ita Vict. de potest. Ecclesiast. quest. 2. tit. Vtrum Eccles. sint exempti. propos. 4. cum plurimis. Ratio est. Quia ecclesiasticæ personæ sunt membra Reipublicæ secularis, & ideo subiacent.

iacent capiti: caput autem est magistratus secularis. Ideo D. Paul. Caesarem appellauit *Act. 6.* & *ad Roman. 13.* ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, quem locum exponens D. Chrysoftom. ait, sacerdotes & monachos, subditos esse debere legibus secularibus, quatenus inferuiunt ad bonam Reipub. gubernationem, fini supernaturali minime contradicentem. Vt res patefiat, plura exempla adducunt Abbas, & Felyn. *ad ca. Ecclesia de constit.* verbi gratia, haeres, qui non implet voluntatem defuncti; priuatur haereditate, similiter priuabitur haeres clericus, qui eam non impleuit. Item sunt casus, in quibus per leges ciuiles amittitur possessio; in ijs etiam illam amittent personae Ecclesiasticae. Insuper sunt leges taxantes pretium rerum, ijs stare tenentur clerici. Non tamen necesse est, vt leges ciuiles ad obligandas Ecclesiasticas personas, quatenus partes Reipublicae, sint approbatae, posituue, vt ita dicam, approbatione, a Papa sicuti existimauit Felyn. *cap. Eccles. de constit. num. 69.* Sed satis est si non reprobentur: quatenus enim summus Pontifex, nec approbat, nec reprobat leges ciuiles, ijs standum est.

2 QVÆST. Dixisti Ecclesiasticas personas teneri legibus ciuilibus, Ecclesiastici libertati minime contrarijs: Quæro igitur, quæ leges ciuiles dicentur Ecclesiastica libertati contrariae?

RESP. Quæ rales sunt, latè docet Felyn. *cap. Eccles. titul. de constit.* Eæ tamen sunt, quæ clericis interdiciunt ea, quæ iure diuino, canonico, & imperiali maiori illis concessa sunt. Vt si impediuntur ab exigendis decimis: si protrahantur ad secularem iudicem. Sunt insuper eæ, quæ pro Ecclesiasticis personis tantum feruntur, vt si feratur lex, ne monialis succedat haereditati defuncti ab intestato; cum tamen reliquæ foeminae admittantur haeredes. Ita Paul. à Castro *conf. 335.* Facta enim videtur talis lex in odium, & præiudicium religionis, & libertatis Ecclesiasticae. Ita colligitur ex *cap. Bene quid dist. 96.* & docet *Sot. 1. iust. quasi. 6. art. 7.*

3 QVÆST. Quæ vi leges ciuiles obligant Ecclesiasticas personas? RESP. Directiuæ, non coactiuæ. Ideo trahi non possunt ad iudicem secularem. Imo excommunicantur in Bulla Cœnæ Domini, qui clericos pertrahunt ad tale iudicium.

X 5.

4 QVÆST.

4 QVÆST. Demus ( quod omen Deus auertat ) tantam esse clericorum licentiam, libere sese gerentium, laicosque notabiliter offendentium, ut Respublica patiatur magnum detrimentum. De qua profusa audacia admoniti Episcopi, & summus Pontif. conuincant, neque clericorum profusos mores coerceant: Possuntne tunc Principes saculares uti potestate, clericosque pœnis coercere? RES P. Possent. Ita Vict. Sor. & Molin. citat. Ratio est. Quia tunc natura ipsa duce, Magistratus Reipubl. habent ius ad dirigendos regni incolas in bonum Reipublicæ ad bene, beateque uiuendum.

5 QVÆST. Possuntne clerici renunciare huic foro, & privilegijs? RES P. Minime, capit. Si diligenti de foro competentis.

6 QVÆST. Pro maiori cognitione huius materia, quaro ulterius, quando fruuntur Ecclesiastici privilegio fori? RES P. Quando sunt rei cap. Experientia 1. quæst. 1. Actores uero nisi in causis Ecclesiasticis, ut notat ibidem. Turrecr. In quibus autem causis possit clericus iudicari à iudice seculari, ut reus, docet Syluest. Index 1 qu. 2. num. 4. tradunt etiam Ord. Lusitan. lib. 2. tit. 1. §. 2.

7 QVÆST. Quid faciendum clerico inuento à magistratu seculari in fragranti delicto? RES P. Detinendus est, ut præsentetur suo Prælato. Sic notat Gloss. capit. Cum non ab homine de iudic. Consentiantque ibi Doctores, Terminum vero præscribunt Ord. Lusitan. tit. 1. §. 21. viginti quatuor horarum spatium. Notat tamen Nauar. cap. 23. num. 83. non esse censendum fragrans delictum, gestacionem uestium prohibitarum, vel armorum, nisi sit uehemens præsumptio, quod clericus moliatur crimen statim patrandum.

8 QVÆST. Accusati clerici, ut rei, puniendine sunt pœna à legibus taxata? RES P. Minime. Sed pro arbitrio iudicis Ecclesiastici. Ita Couarr. de pract. quæst. cap. 33. ex cap. 2. de iudicijs. Iudicis, dixi, Ecclesiastici, quia in causis à iudice laico iudicatis, puniendus est clericus iuxta legum scita. Ut aduertit Panormit. cap. quod cleric. de foro compet. In hoc tamen adhuc limitanda conclusio, quo ad causas ciuiles, non quo ad causas criminales. Non enim statum est pœna mortis, aut verberum à Cæsareo iure imposita.

posita, sed alijs à iure canonico stabilitis remissius vten-  
dum

9 *QVÆST. Qui censendi sunt Ecclesiastici?* RESP. Clerici, etiam in prima tonsura constituti, si habeant conditiones, quas requirit Concil. Trid. sess. 26. capit. 6. de reform. Omnes proprii Religiosi, ac Moniales *cap. De monialibus* & *cap. Cum illorum de sentent. excomm. l. statumur. Cod. de Episcop. & cleric.* Inter eos vero numerantur eremitæ professi, ut docet Sylu. *verb. eremita quest. 1.* Item Donati religionis professæ, siue viri, siue fœminæ fiat. Sunt enim vere religiosi, & tria vota substantialia emittunt *capit. vs. Tex. 27. quest. 1. & sentiunt fere omnes ad idem capit. Etiam Nouitij religionum, Gloss. Clemen. 1. de elect. verb. religiosus.* In hoc saltem regno Lusitano Cômendatarij, non gaudent hoc foro. *L. 4. Extrauag. 2. p. titu. 3. nisi sint Malteses, quia vere religiosi, ut notat Sot. 2. de iust. qua. 5. art. 3. ad 3.* Plura de hac materia leguntur apud Sylu. *verb. eremita.* quibus pro breuitate superfedeo repetendis.

De Legislatoribus erga leges à se ipsis  
conditas. §. 2.

1 *An Legislatores teneantur suis legibus.*

1 *QVÆSTIO Tenentur ne legislatores stare suis legibus?*  
RESP. Ut respondeam, præmitto duplicem esse legum vim, directiuam nimirum, & coactiuam. Directiuam est, qua quis tenetur in cōscientia ex æquitate, & ratione. Coactiuam est, qua quis cogitur, etiã exterioribus pœnis stare pro legum decreto. Præmitto, deinde. Legislatorem vel esse communitatem, vel communitatis ipsius caput, ut Regem, vel Papam. Dico igitur primum. Communitas tenetur in conscientia stare suis legibus, tam ex vi directiuam, quam ex vi coactiuam. Ita Medi. 12. qua. 96. Ratio est; Quia leges à communitate decretæ, polent vi coactiuam, hæc autem exercēda est in singularibus personis: personæ vero singulares communitatem faciunt. Dico secundum. Communitatis capita, ut Rex, & Prælati, tenentur suis legibus, quo ad vim directiuam, non tamen coactiuam. Ita Doctores communiter cum D. Thom. 1. 2. qua. 96. arti. 5. ad 83. *cap. Iustum est cap. Cumannes de cōst.* Ita ibi textus. *Quidquid iuris in aliū statuit, ipse debet*

*debet vii.* Quæ verba sumpta sunt ex *L. prima. ff. Quod quisque iuris.* Duo enim principia naturalia concurrunt ad stabiliendam humanarum legum vim. Primum dicit. Superiori iuxta præcipienti, obtemperandum est. Et hoc cogit subditos ad standum legibus. Secundum dicit. Seruandum tibi est ius, quod in alterum statuis. Patere legem quam ipse tuleris. Et hoc obligat Legislatores, quo ad vim directiuam, vt manifestum est. Recte tamen aduertunt Caietan. *1. 2. quest. 96.* & Sor. *1. iust. question. 6. artic. 7.* hanc vim directiuam solum reperiri in legibus communibus, tam subditis, quam principi, quales sunt in foro Ecclesiastico leges de ieiunando, audiendo sacro, &c. in foro vero sæculari leges de vendendo vel emendo tali pretio, &c. Non reperitur vero tale ius in legibus, quæ pro ipsis subditis tantummodo conditæ sunt, vt de non gestandis armis, de non induendo serico, & aliæ.

## CAPVT VII.

*De reuocatione Priuilegiorum.*

*De Priuilegiorum reuocatione. §. 1.*

- 1 *An gratia expiret per mortem concedentis illam.*
- 2 *An mandatum expiret morte mandantis.*
- 3 *Mortuo Papa ante dispensationem factam Episcopo commissam, an teneat adhuc gratia, & possit fieri dispensatio.*

1 **Q**VAESTIO. *Expiratne gratia per mortem concedentis illam? R E S P.* Minime. *capit. gratiam. capi. relatum. de offic. deleg.*

2 **Q**VAESTIO. *Expiratne mandatum morte mandantis? R E S P.* Re integra adhuc, non solum morte, sed depositione aut translatione expirat. *cap. Mandati. Docet Diu. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 9 §. fin. Palud. in 4. d. 17. quest. 4. art. vlt. Peres L. 2. tit. 2. lib. 2. Ordin.* Si tamen mandatum accessorium est actui

actui minime per mortem reuocabili, non expirat. Probat Henr. de indul. ca. 11. num. 4. in Glossa.

3 QVÆST. Commisit Papa Episcopo. aut Legato, ut verificata narratiua dispense; interim antequam Episcopus dispensaret, mortuus est Papa, expirauitne gratia illa per mortem Papa? RESP. Minime. Ita Maiolus lib. de irregul. ca. 51. num. 6. Syluest. gratia. §. 2. Tabien §. 5. Armil. §. 5. Anton. Gabr. tom. 2. tit. de præben. con. 1. num. 35. qui omnes citant Federic. cons. 68. Moya, & alios Doctores. Ratio est: Quia ex parte Papæ plene concessa est illa gratia: & ideo ante reuocationem per successorem factam, tenet, & valet.

## CAPVT VIII.

### De quinque Ecclesia præceptis.

§. Dixisti de præcepto humano, præcipue Ecclesiastico in communi quo ad vim, & obligationem animæ quam inducit ad sui obseruationem. Restat nunc dicendum de præceptis Ecclesiasticis in singulari (hæc enim sola persequi nostri est instituti, nostræ professionis.) Quoniam vero prima, & præcipua sunt quinque, quæ vulgo appellantur quinque sanctæ Ecclesiæ mandata, ab ijs interrogationes exordiar:

De sacro audiendo. §. 1.

- 1 De loco iuris, vbi continetur hoc præceptum.
- 2 Quid sit sacrum audire, & qua intentione audiendum sit.
- 3 De recitatione precum in audiendo sacro.
- 4 De integritate missæ audiendæ.
- 5 De ijs, qui in audiendo sacro ei inserviunt ministrando, & quærendo necessaria.
- 6 De audientibus duarum missarum medietates.
- 7 De excusatis ab audiendo sacro.
- 8 De famulo non audiente sacrum ob domini seruitium exequendum.

9 An



- 9 An teneamur audire tres missas in die Natalis Domini.
- 10 An ex duabus partibus Missæ parvis non auditis, fiat pars notabilis.
- 11 An qui excusatur à sacro audiendo, teneatur domo Deo vacare, & orationes aliquas fundere.

1 QVÆSTIO. Vbi continetur hoc præceptum? RESP. Dist. 1. can. missas. de consecr.

2 QVÆST. Quid est audire sacrum? RESP. Illi corpore adesse illi, & mentem intendere ad ea, quæ dicuntur. Hæc tamen mentis attentio, non tanta requiritur, ut nullatenus diuagetur inadvertenter, sed solum eadem requirit, ut diligenter advertamus, ne distrahatur. Quam voluntariam diuagationem haberet ille, qui cum sacrum audit, veller scribere, pingere, vel studere, aut quid simile.

3 QVÆST. In sacro audiendo ex præcepto poteritne quis vitare coronam Virginis, aut horas canonicas, ad quas ex statuto obligatur, aut quid simile ex poenitentia sibi à confessari adiuncta? RESP. Potest satisque est virtualis attentio ad missam. Ita Adrian tract. de satisfact. qua. 7. Medin. tractat. de poenit. iniuncta. Caiet. in sum. verb. dies festus. Nau. capit. 21. num. 9. Tolet. lib. 6 cap. 6. Ratio est, quia ista ad eundem Deum mentisque elevationem diriguntur. Melius tamen esset attendere ad missæ mysteria, si quies detur cogitationis.

4 QVÆST. Estne præceptum de audiendo totam missam? RESP. Peccaret mortaliter, qui omitteret partem notabilem. Pars vero notabilis est vsque ad Epistolam exelusive: vel à communionem vsque ad finem. Ita Tabien. verb. missa §. o. & Nauar. citat. num. 2. qui etiam epistolam totam comprehendunt, sed in hoc à Tolet. reijciuntur.

5 QVÆST. Inseruit quis altari, & aliquoties discedit ad ferenda necessaria sacrificio, veluti prunas, Thus, & similia, censeturne abesse, & omittere partem notabilem missæ? RESP. Minime, sed omne id quod omittit coactus necessitate, reputatur illi, ac si totum audiisset. Ita D. Anton. 3. p. tit. 9.

tit. 9. cap. 10. §. 1. Sylu. missa, 2. §. 1. Tabien. ibidem num. 50.

6 QVÆST. Qui aliqua necessitate urgente audit duas duarum missarum dimidietates, ut postea urgenti negotio valet. satisfacitne præcepto audiendi sacrum? RESP. Satisfacit. Ita Maior. in 4. d. 45. quest. 2. Nau. cap. 11. num. 2. Sor. in 4. d. 13. qu. 2. art. 1.

7 QVÆST. Ob quas causas excusatur quis ab audiendo sacro? RESP. Ob multiplices. In primis cum quis timet damnum spirituale, aut proprium, aut alienum. Et ideo excusantur matres, qui domi manent, ne filiarum pudicitia periculo exponatur. Deinde ad euitandum damnum corporale, vel proprium, vel alienum. Et ideo excusantur infirmi. Excusantur mancipia, quæ timent verbera dominorum, si domum solam relinquunt. Excusatur vxor ad euitandas mariti rixas, si adueniens non inueniat prandium præparatum: similiter excusantur ij, qui seruiunt infirmis. Excusantur quæ nutriunt infantes. Qui seruant res, ne à latronibus deripiantur. Tertio, qui non possunt exire domo sine iactura honoris. Et ideo excusantur, qui aptam, & decentem vestem non habent. Et quæ viduæ iuxta consuetudinem loci, incurrunt notam leuitatis, si foras prodeant. Quarto denique excusantur illi, qui si adessent, detrimentum in re propria, vel aliena suæ custodiæ tradita paterentur. Et ideo excusantur custodes carcerum, arcium, gregum, vinearum, pratorum. Excusantur, qui nequeunt aliter sua negotia urgentia perficere. Qui viam nesciunt, & si morentur, amitterent socios, qui viam pergunt.

8 QVÆST. Est quis famulus, & non sinitur à domino ferme semper adesse sacro, quia illius indiget opera ad opus tunc conficiendum, teneturne dominum deserere? RESP. Tenetur, & quærere alium. Ita Tolet. lib. 6. cap. 9. Si tamen nequireret tam facile alium ita opportunum inuenire, posset apud eundem manere. Ita idem Toletus.

9 QVÆST. In die Natalis Domini, quando licet sacerdoti tres missas celebrare, teneturne quis plures vna missa audire? RESP. Minime quidem. Ita omnes, quos sequitur Nau. ca. 21. nu. 2. Ratio est. Quia id nulla lege præcipitur.

10 QVÆST. Omisit quis partem vnã in principio missæ & aliam in fine, rogo, ex his duabus partibus fit pars notabilis,

bilis,

bilis, propter quam frangatur hoc præceptum? RES P. Est quidem. Ita Nauarr. proxime citatus.

II QVÆST. Qui propter aliquam ex prædictis causis excusatur ab audiendo sacro, teneturne ex vi præcepti vacare de orationibus? RES P. Asseruit Angel. verb. feria. num. 46. & alij in 3 d. 6. Negandum tamen est cum Nauar. cap. 21. num. 7. & alijs, quos ipse refert. Est quidem verum hunc esse ab Ecclesia intentum finem, cum præcipit audire sacrum, sed finis præcepti non cadit sub præceptum, ut ostendit D. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 9. & 10.

### De Ieiunio Ecclesiastico. §. 2.

- 1 Quid est ieiunium Ecclesiasticum.
- 2 Quæ sunt de essentia ieiunij Ecclesiastici.
- 3 De cibi qualitate.
- 4 De hora competente.
- 5 An possit hora anticipari.
- 6 Quod est peccatum anticipare horam.
- 7 An possit quis mane sumere collationem, & nocte prandere.
- 8 De unitate comestionis.
- 9 De collectione noctis.
- 10 An qui per secundam comestionem ieiunium fregit, teneatur adhuc illud seruare.
- 11 De quantitate ciborum.
- 12 De causis excusantibus à ieiunio.
- 13 An causa dubia excuset.
- 14 Quomodo se gerere debet confessarius cum eo, qui arbitratur se habere sufficientem causam ad non ieiunandum.
- 15 An teneantur domini minuere laborem seruorum, ut ita serui ieiuent.
- 16 Quando computandus dies ieiunij.
- 17 De potu in die ieiunij.
- 18 An frangat ieiunium, qui è mensa surgit cum intentione

entione non amplius edendi, & ad eam reuertitur.

- 19 An comestio carnis ob necessitatem excuset à ieiunio.  
 20 De atate qua incipit obligare præceptum ieiunij.  
 21 Andiu es faber teneatur die ieiunij omittete laborem vt ita ieiunct.  
 22 De vendentibus cibos in die ieiunij.  
 23 Quis potest dispensare in ieiunio.  
 24 De dispensato, vt edat carnes in die ieiunij.

1 **QVÆSTIO.** Quid est ieiunium Ecclesiasticum? **RESP.**  
 Est abstinentia voluntaria à cibo iuxta Ecclesiasticum ritum. A cibo, dixi, non potu, quia potus etiam vini non frangit ieiunium. Et ideo quidquid sumitur, etiam gustabile, non per modum cibi, sed ob aliam rationem, non frangit ieiunium. Hinc absque ieiunij fractione, sumitur aliquid per modum medicinæ, & per modum probationis, vt faciunt coci, & architriclini. Per modum medicinæ possunt lecturi ad mensam Religiosorum aliquid prægustare, & qui siti cruciantur, si potus nocere soleat absque cibo. Ita Syluest. *ieiunium*, & Caiet. *ibidem* & Tolerus *libr. 6. cap. 1. Dixi* (iuxta ritum Ecclesiasticum) quoniam secundum illum seruanda est certa hora, & certi cibi sunt sumendi, & non alij.

2 **QVÆST.** Quæ sunt de essentia ieiunij Ecclesiastici? **RESP.**  
 Tria, nimirum qualitas ciborum, hora competens sumendi cibum, vnitas comestionis.

3 **QVÆST.** Qui cibi prohibentur in die ieiunij? **RESP.**  
 Omnes ex carne confecti. Præterea in quadragesima prohibentur lacticia, hoc est omnia ex lacte facta vt caseus, butyrum, &c. Sed circa huiusmodi lacticia seruandus est mos patriæ, & ordo præscriptus à Constitutionibus synodalibus. Ita Nau. *cap. 21. numer. 3.* & Tolet. *loco citato.*

4 **QVÆST.** Quæ est hora competens sumendi cibum? **RESP.**  
 Ea, quæ secundum consuetudinem loci seruari solet paulo plus minusve, seruari autem solet vndecima.

5 QVAEST. *Potestne anticipari hora iusta de causa?* RESP. Potest, vel quia aliquis facturus est iter. Vel quia hospitem habet, vel quia negotia expectat, quæ impediunt horam prandij. Et sic excusantur famuli qui ante tempus prandent, vt postea possint ministrare dominis. Quamuis isti possint, cum delaturi sunt prandium aliquem cibum sumere, vt possint facilius sustinere laborem. Moderare tamen, vt adnotat Gabriel, in 4. d. 16. quaest. 3. Toletus lib. 6. cap. 2. §. 8.

6 QVAEST. *Quantum peccat, qui sine necessitate horam competentem anteuertit?* RESP. Nauar. cap. 21. num. 27. peccat peccare mortaliter. Dicendum tamen solum peccat venialiter. Ita Alensis 4. p. quaest. 103. membr. 3. Innocentius Rub. de obseru. ieiun. quos sequitur Toletus loco citato.

7 QVAEST. *Licetne collationem, solitam nocte sumi (de qua infra) mane sumere, & ad noctem seruare prandium?* RESP. Licet ex rationabili causa, sed si non ad rationabilem causa, peccatum erit veniale id facere. Ita Caiet. verb. ieiunium. Nau. capit. 21. numer. 12. & Toletus citatus.

8 QVAEST. *Circa comestionem unicam rogo in primis. Vtrum ex causa liceat prandium inchoatum relinquere, & postea ad illud redire?* RESP. Licet, si vgens sit negotium. Ita Tolet. lib. 6. capit. 2. numer. 7. quæ res dignissima est notatu.

9 QVAEST. *Quid censet circa collationes solitas nocte sumi?* RESP. Quamquam olim sumerentur tantum per modum medicinæ ad captandum somnum: Iam tamen consuetudo obtinuit, vt etiam aliquid per modum nutritionis sumatur. In hac tamen re consideranda, & seruanda patriæ consuetudo, iuxta timoratas conscientias. Non enim est mortale talem consuetudinem seruare, licet quantitas sit aliquantulum grauis.

10 QVAEST. *Qui semel fregit ieiunium propter secundam comestionem, tenet: ut deinceps seruare ieiunium, & abstinere à cibo?* RESP. Minime, sed semel tantum peccauit. Ita Durandus in 4. d. 15. quaest. 4. Tabiena, & Sylu. verb. ieiunium. Ratio est. Quia præceptum ieiunij est affirmatiuum, & semel fractum, non potest illo die iam seruari. Ita docet Nau. sup. num. 21.

11 QVAEST.

IT QVAEST. *Quantum licet comedere die ieiunij?* RESP. Quantum quis edere poterit, loquendo de ratione præcepti. Nam quamuis multum comedas, non franges præceptum ieiunij. Seruanda tamen in hac re sobrietas.

12 QVAEST. *Quæ causæ excusant à ieiunio?* RESP. Multiplices. Prima est infirmitas, siue accidentaria ex morbo siue naturalis ex complexione, propter quam quis cum inedia affligitur, patitur dolores capitis, stomachi, deliquij, &c. Qui dolores nequeunt euitari vnica comestione. Ideo excusantur à ieiunio prægnantes. *Secunda* causa est paupertas, qua quis nequit habere sufficiens integrum prandium. *Tertia* causa est labor, cui quis ex officio, ad alendam vitam (licet iam diues sit) incumbit, nimiam lassitudinem, & corporis debilitatem inducens. Non enim tenentur diuites cessare à labore. Ita concessit Eugenius, cuius bullæ meminit Syluest. *ieiun.* §. 24. Excusat etiam labor impensus in vtilitatem Reipublicæ, vel proximi necessario reparandam, vel procurandam. Et ideo excusatur, qui belli tempore muros extruit. Qui incendium extinguit, proprium vel alienum.

Dubitari posset, an labor lectionum, quas candidati in Academijs habere solent ad solam scientiæ ostentationem, & bonum literatorum nomen comparandum eos excuset à ieiunio. Cui dubitationi respondeo, tales candidatos excusari, cum magnum honoris, aut alterius commodi detrimentum illis obueniret, si lectiones omitterent.

*Quarta* causa est pietas. Et ideo excusantur, qui pia opera exercent, vel corporalia, vel spiritualia, quæ cum ieiunio nequeunt æque bene exerceri, vt concionari, legere, confessiones audire, inservire hospitalibus, peregrinari ad loca pia. Nota tamen quod huiusmodi non excusantur, nisi cum ex officio fecerint, aut ex obedientia, aut ex voto aliquo præcedente. Dixit vero Syluester *verb. ieiun.* §. 26. excusari à ieiunio illum concionatorem, cuius conciones valde sunt utiles populo, quamuis non ex officio, sed ex sola deuotione concionetur. Circa peregrinationes notant omnes,

non licere peregrinari tempore ieiunij, & ieiunium soluere, nisi cum ex voto peregrinatio est, nec potest talis peregrinatio commode differri in aliud tempus. Addit Nauar. *num. 19.* posse fieri, cum ex deuotione magna aliqua fit. Sed, vt credo, non id licet absque consilio confessorij iudicantis plus spiritui profuturam peregrinationem, quam ieiunium. Licet etiam peregrinari die ieiunij ad vitandum detrimentum corporale, seu temporale, veluti si quis habet socium viæ, quem amittet, nisi iter faciat die ieiunij, aut cum timet aliquod periculum, si solus incedat. Inter pias causas numeranda etiam est publica flagellatio ad imitandum Christum Dominum passum. De qua dico idem, quod de peregrinatione ob deuotionem, vel ex voto dixi. Quamuis ex alio capite etiam videatur excusare, nimirum ex publico poenitentiae exemplo in commune Reipublicæ Christianæ emolumentum multum cedente. Excusatur præterea à ieiunio, qui nequit debitum reddere vxori. Rursus excusatur vxor, quæ ad vitandas rixas, & odia, cum marito cœnat. Ita Tabiena *ieiun. §. 10.* & Sylu. *§. 15.* Legatur Tolerus *libr. 4. cap. 6.* & apud illum hæc inueniuntur.

13 QVÆST. *Qui causam habet dubiam a non ieiunandum, teneturne ieiunare?* R E S P. Tenetur, donec à confessorio, viro docto, vel à medico timorato accipiat declarationem, & dispensationem.

14 QVÆST. *Quantum peccat, qui existimans se habere causam sufficientem ad non ieiunandum, ieiunium frangit, reuera absque causa?* R E S P. Venialiter, nec à confessorio debet talis dure cogi ad ieiunium, sed simulata conscientia duci suauiter debet ad ieiunandum, vt vitetur error conscientiae, quo grauius peccabit non ieiunando. Ita docet D Anton. *2. p. tit. 6. ca. 2.* Palud. *in 4. d. 15. qua. 2. art. 1. Caic. 2. 2. qu. 47. art. 3.*

15 QVÆST. *Habet quis seruos ad laborem, habet agros arandum, oliuas ad colligendum vineas ad amputandum: ad est dies ieiunij, sed labor prædictus differri potest in alium diem. Teneturne dominus eum solum laborem seruis imponere, & eos solos operarios vocare, qui cum moderato labore possint ieiunare: an vero poterit eundem laborem seruis imponere, & operarios quoslibet vocare, licet minime ieiunaturi sint?*

R E S P.

RESP. Toletus *lib 5 cap. 5.* teneri, & non posse, allegatque Palud. *in 7. dist. 14. quest. 4. art. 1.* Gabr. *d. 16. quest. 3. artic. primo not. 4.* Verumtamen oppositum obtinuit consuetudo recepta ab omnibus timoratis, & religiosis viris, non enim propter ieiunium subtrahunt seruis de labore, neque operarios dimittunt.

16 QVÆST. *Vnde incipit, & ubi terminatur dies, seu tempus ieiunij Ecclesiastici?* RESP. A media nocte præcedentem diem, vsque ad mediam noctem subsequentem. Ita definitur iuxta omnem sententiam. *L. More Romano ff. de ferijs, vt refert Nau. ca 21. num 12.*

17 QVÆST. *Poteritne quis in die ieiunij sæpius bibere, quamuis sciat se potu maxime ali?* RESP. Poterit. Ita Nauarius proxime, adducens per se D. Thomam, ita afferentem.

18 QVÆST. *Circa unitatem cœmestionis rogo, an sufficiat ad fractionem ieiunij intentio, non redeundi ad mensam, si iterum reuertamur ad illam.* RESP. Maxime. Ita Archidiaconus capit. *Non licet. de consecr. dist. 1.* quem sequitur Nau. *loco citato. § 15.*

19 QVÆST. *Frangitne ieiunium, qui semel tantum in eo vescitur carnibus?* RESP. Frangit. Ita Maior, quem refert, & sequitur Nau.

20 QVÆST. *In qua ætate incipit obligare ieiunium?* RESP. A vigesimo primo anno expleto. Ita Diu. Thom. cum communi. Incipit vero deobligare secundum communem opinionem a sexagesimo anno. Sed hoc iure merito relinquit Nau. *capit. 21. num. 15.* arbitrio prudentis, & timorati. Cum enim hoc tempus non sit à iure determinatum, communis opinio supponit in ea ætate senes esse debiles ad ieiunandum, & ideo si quis se tunc valentior inueniat, quam alius quadraginta natus annos, tenebitur ieiunare, vt de seipso fateatur Nau. Aiunt tamen medici hanc senum roboratam existimationem esse illusiuam: nam est ea ætas ex se adeo debilis, vt facili ex causa ab illo putato robore deturbetur, nisi cibi alimentum sibi subueniat.

21 QVÆST. *Est quis faber, vel agricola bene diues, sed solet vitam suam traducere exercendo opera laboriosa, qua secum non patiuntur ieiunium, rogo, teneturne in die ieiunij laborem*



laborem relinquere, ut vacet ieiunio? R E S P. Minime. Ita decrevit Eugenius quartus, ita Rosel. verb. ieiun. & Sylu. ibid. qu. 3. Quod decretum affirmat Nau. proxime, non esse privilegium concessum laborantibus, sed declarationem iuris communis.

22 QVÆST. *Caupo, qui paratus est quotidie ministrare cibos accedentibus, teneturne in die ieiunii interrogare, an habeant, qui voluit comedere, causam non ieiunandi?* R E S P. Minime. Verumtamen peccat mortaliter, si ex indicijs colligit petentem cibos sine causa velle frangere ieiunium, & tamen ei præbet cibos. Ita Nau. capit. 21. numer. 27. & ita interpretatur dicta à Gabr. in 4. d. 16. quæst. 3. art. 3. dub. 6.

23 QVÆST. *Quis potest dispensare cum aliquo, ne ieiunet?* R E S P. Si ad sit iusta causa, Episcopus, & eo absente etiam parochus, & quilibet prælatus cum suis religiosi. Ita D. Thom. in 4. d. 15. quæst. 3. art. 2. & quæst. 147. citata quam sequitur ibi Caiet. & Nauar. cap. 21. num. 21. Hoc quidem non est ita decretum in iure, sed receptum consuetudine, quæ quidem iurisdictionem dare potest, capit. Cum contingat de for. compet. capit. Duo simul de offic. ordin. Ex quo inferit Caietan. non debere prælatos relinquere suæ conscientiæ subditos petentes ab ipsis dispensationem, ut liceat eis carnare aliqua de causa in die ieiunii, aut ante horam comedere. Quia potius debent eis comparari, & benigne dispensando à scrupulis liberare, aut ieiunium in aliud pium opus commutare. Illum sequitur Nauar. citatus.

24 QVÆST. *Dispensatus, ut ieiunando comedat carnes, poteritne illas sapius comedere?* R E S P. Minime. Ita Nauar. citato loco.

#### De annua confessione. §. 3.

- 1 De personis quas obligat hoc præceptum.
- 2 Quoties obligat.
- 3 An hoc præceptum sit Ecclesiasticum quo ad substantiam.
- 4 An obliget de omni peccato.
- 5 Quo ætatis anna obliget.

- 6 Qua anni parte obliget.  
 7 An transacto anno quis obligetur ab hoc præcepto.  
 8 Vtrum quis teneatur anticipare tempus huius præcepti.  
 9 Quid dicis de obliuioso, cui memoria est infirma.  
 10 De causis ad differendam vltra annum confessionem.  
 11 An obliget hoc præceptum illum, qui non nisi scripta peccata potest manifestare.  
 12 Per quam confessionem impletur hoc præceptum.  
 13 De pœna Ecclesiastica, opposita transgressoribus huius præcepti.  
 14 An sicte confitentes, impleant hoc præceptum.  
 15 Vnde colligetur aliquem puerum peruenisse ad annos discretionis.  
 16 Vbi continetur hoc præceptum.

**Q**UÆSTIO. Quos obligat hoc præceptum? **R**ES P. Omnes habentes vsum rationis, cuiuscunque ætatis, sexusve, & conditionis sint, cap. Omnis viri, que de pœn. & remiss. Quod intelligo, si habeant peccatum actuale mortale post baptismum commissum, nam sola peccata actualia post baptismum commissa; sunt materia sacramenti pœnitentiæ, quia peccata antea commissa, per baptismum delentur absque vlllo ordine ad confessionem sacramentalem. Ita Scot. in 4. d. 18. qu. 1. art. 2. Med. de pœn. qu. 7. Maior. in 4. d. 17. qu. 1. ibi. Almain. qu. 1. art. 2. contra Scot. ibid. qu. 1. art. 1. Richar. ar. 2. qu. 4. Adrian. qu. 2. de confess. Ang. confess. 2. § 2. Syl. § 1.

2 QUÆST. Quoties obligat hoc præceptum? **R**ES P. Semel in anno. Ita decreuit Concil. Trid. sess. 14. ca. 5. & 8.

3 QUÆST. Estne hoc præceptum confessionis latum ab Ecclesia quoad substantiam, an quoad determinationem temporis? **R**ES P. Quoad solam temporis determinationem. Nam quoad substantiam est præceptum diuinum, vt dixi in sacramento pœnitentiæ. Ita totiens Doctorum

Palud. in 4. d. 17. quæst. 7 num. 16 Gabr. quæst. 1. art. 1. Sor.  
d. 18. quæst. 1. art. 1. Pet. Soto lect. 5. de confess. & Conc. Trid.  
citato loco.

4 QVÆST. *Obligatne hoc præceptum omnes, qui habent  
quodvis peccatum?* RESP. Minime, sed eos qui habent pec-  
catum mortale, nondum confessum, colligitur ex Conc.  
Trid. sess. 14. cap. 5. est communis Theologorum. Ratio  
est, quia hoc præceptum obligat circa materiam tan-  
tummodo necessariam, venialia vero peccata non sunt  
materia necessaria sacramenti poenitentiae, ut in propria  
materia ostendam. Et ideo si tempore quadragesimæ,  
quando obligat huiusmodi præceptum, solum habere  
quis venialia peccata, non teneretur confiteri.

5 QVÆST. *Quo statis anno obligat hoc præceptum, quous-  
que die?* RESP. Non potest in hoc præcepto certa ætas affi-  
gnari, cum in ea incipiat hoc præceptum obligare, in  
qua quis incipit peccare mortaliter. Obligatur ergo quis  
tunc, cum habet conscientiam peccati mortalis. Hæc est  
communis doctrina, in 4. dist. 17. Richard. artic. 2. quæst. 4.  
ad 6. Scot. quæst. 1. art. 3. Sylu. confess. 2. quæst. 5. Navar. capit.  
21. num. 3. Cord. in sum. Hispana. quæst. 60. Consentiant  
Glossa, & Canonistæ, cap. Omnis utriusque. Sor. d. 18. qua.  
1. artic. . Ratio est. Quia verba textus sic habent. *Omni  
utriusque sexus cum ad annos discretionis pervenerit.* Anni  
vero discretionis significant ætatem, in qua homo licet  
peccare. Deinde. Quia isti obligantur præcepto diuino;  
hoc autem præceptum Ecclesiasticum solum est deter-  
minatio præcepti diuini. Denique, Quia isti obligantur  
alijs præceptis Ecclesiæ; tenentur enim audire sacrum  
in die festo, abstinere à carnibus in die prohibito, te-  
nentur etiam confiteri,

6 QVÆST. *Dixisti obligare hoc præceptum semel in anno,  
qua ergo anni parte?* RESP. Aliqui dixerunt obligare tem-  
pore quadragesimæ. Ita Pet. Soto. lect. 5. de confess. quam  
obligationem licet textus expressus non imposuerit,  
obtinuit tamen consuetudo, & usus fidelium, ut notavit  
Medina. Cod. de poenit. qua. 18. in 2. p. illius, & eum usum  
approbavit Concil. Trid. sess. 14. cap. 5. Alij vero dixerunt  
non obligare pro certa anni parte, sed satisfieri huic præ-  
cepto quavis confessione facta per annum. Ita Sor. in 4.  
dist.

*dist. 18. quest. 1. art. 4. Cano. relect. de pœn. Vict. in sum num. 137. Nauar. capit. 2. num. 9. Probat, quia in capit. Omnis utriusque. cum duo tradantur præcepta, vnum de confessione, alterum de Eucharistia, pro Eucharistia assignatur determinatum tempus Paschatis, pro confessione vero minime: sed simpliciter dicitur, saltem semel in anno confiteantur. Dicendum tamen est, hoc præceptum obligare intra annum, qui quidem computandus est à quadragesima in quadragesimam, iuxta consuetudinem receptam, quæ optima est legum interpret, & ideo qui intra annum semel confessus est, satisfecit huic præcepto Ita Vict. in sum num. 137. Ledesma. 24. quest. 6. art. 5. dub. 6. Addit tamen probabiliter Suarius, si post confessionem vsque ad quadragesimæ finem non peccauit mortaliter: nam si peccauit, arbitratur teneri ad confitendum tale peccatum: nam verba, capit. Omnis utriusque, obligant confiteri omnia peccata commissa intra illum annum.*

7 *QVÆST. Non impleuit quis hoc præceptum intra annum, teneatne statim in sequenti anno illud implere? RESP. Negant D. Anton. 2. p. d. 9. cap. 9. §. 3. Sylu. Eucharistia. 3. qu. 15. citans Archidiac. Ledesma supra dub. 7. Ratio eorum est, quia hoc præceptum est affirmatiuum, & determinate obligat pro certo tempore: ergo eo transacto iam non obligat, vt præceptum audiendi sacrum, ieiunandi, & similia. Affirmat tamen Maior in 4. d. 17. qu. 2. Sot. dist. 18. quest. 1. art. 4. Medin. quest. 18. Nauar. cap. 21. numer. 45. Victor. in sum num. 137. & 147. Ratio est, quia hoc præceptum non determinat tempus, in quo præcise debeatur impleri hæc confitendi obligatio, sed vltra quod nõ debeat differri talis obligatio. Et ideo quo magis differtur, eo magis obligat, vt cum quis assignat tempus intra quod sibi certa pecunia debita reddatur, quæ obligatio eo magis accrescit, quo magis differtur.*

8 *QVÆST. Tenenturne interdum fideles anticipare confessionem? RESP. Si quis præuidet, quod transacta illa occasione non poterit in toto anno confiteri ex penuria confessarij, teneat ex vi huius præcepti Ecclesiastici tunc confiteri. Ita Theolog. in 4. d. 17. D. Bonauent. 2. p. art. 2. quest. 2. Gabrieli. quest. 2. art. 3. dub. 1. Durand. que. 10. nu. 6.*

Y 5

Maior.

Maiores *quest. 2. art. 5. Sylu. confessio 2. quest. 2. Medin. Soto, Cano, & alij citari.* Ratio est, quia aliter hoc præceptum impleri nequit: Exemplum est in præcepto audiendi sacrum, quod quamuis implere possimus in meridie, si tunc sacrum fiat, tenemur tamen implere hora tertia, si post illud non sit aliud sacrum.

9. QVAEST. *Quid censes de obliuioso, teneturne statim anni finem confiteri, ne peccata memoriam fugiant?* RESP. Affirmant Maiores *in 4. dist. 14. quest. 2. Marilius ibid. quest. 12. articulo. 1. p. 4. Medin. de poenit. questio. 16.* Ratio eorum est, quia ex iure diuino tenetur integre confiteri, cum igitur obliuiosus non possit integre confiteri, si expectet terminum anni, tenetur confiteri ante illum. Negant tamen Soto *in 4. d. 8. quest. 1. art. 4. Ledesm. 2. 4. quest. 5. art. 3. dub. 8. Viet. 7. lect. de poenit. num. 132. Cano ibid. part. 5. Nauac. cap. 2. num. 35. Syluest. confess. 1. qu. 2.* Ratio eorum est, quia iure diuino tenetur integre confiteri omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt tempore quo obligat præceptum. Sed Ecclesia suo præcepto declarauit, præceptum diuinum obligare intra anni fines, & non pluries, ergo tunc impleretur integre cum integre dicuntur peccata memoriæ occurrentia facto diligenti examine. Atque hæc secunda sententia suauior est, & practice secura.

10. QVAEST. *Quibus ex causis potest extra annum differri confessio sine violatione præcepti?* RESP. Omitto impotentiam absolutam: nimiam difficultatem, quæ quidem prudentis arbitrio iudicanda, vehementem suspicionem detectionis per confessarium infamationis, vel alterius grauis nocumenti circa illud peccatum, de cuius confessione talis est probabilis suspicio: non vero circa alia, ut probe adnotauit Suarius. Quæ causæ etiam excusant à iure diuino confessionis. De duabus causis controuertunt Doctores: Prima est impotentia confitendi per se sine adiumento interpretis. Affirmant Syluest. *confess. 1. numer. 15. cum multis, quos refert Caietan. confessio. condit. 11. Sot. in 4. dist. 18. quest. 2. articulo. 6. Ledesm. 2. 4. quest. 8. art. 3. Viet. in sum. nume. 173. Pet. Soto. lect. 5. de confess. Medin. qua. 19. de modo secretè confitendi. Maiores in 4. d. 17. ibid. Palud. Qui Doctores præter Syluestrum excu-*  
sant

sunt etiam à præcepto diuino, etiam in articulo mortis, stando in vi præcepti. Ratio eorum est, quia nullus obligatur ad publicam confessionem, vt colligitur ex Trident. *sess. 14. capit. 5.* publica autem est confessio, quæ fit per interpretem, quia *in ore duorum stat omne verbum.* In hac re certum est præceptum Ecclesiasticum non obligare. Nam verba textus *capit. Omnis viriusque sunt hæc. Omnis fidelis teneatur solus confiteri sua peccata proprio sacerdoti.* Solus, dixit, non cum alio. Quidquid vero sit de præcepto diuino (de quo in materia de pœnitentia) certum etiam est, tunc non obligare, nisi adsit mortis periculum. *Secunda* causa est de eo, qui nequit, nisi per scriptum confiteri. Sed velim, vt dubium proponas.

II QVAEST. *Non potest quis manifestare sua peccata sacerdoti presenti, nisi per scriptum, quia vel ipse mutus est, vel sacerdos surdus, teneturne ex vi huius præcepti confiteri?*

RESP. Tenetur quidem. Ita Sylu. *confess. 1. questio. 15.* qui alios refert, præfertim D Thom. qui quidem hoc insinuat, *in 4. d. 17. quest. 3. art. 4. qua. 3. ad 2.* Palud. *ibi. questio. 2.* Maio. *qua. 1. ad 3.* Caieran. *confess. condit. 11.* Pet. Sor. *lect. 11. de confess.* Ratio est, quia hoc præceptum obligat, cum commode potest impleri: sed tali modo potest absque damno impleri, ergo &c. Oppositum docuit Sotus *in 4. d. 17. art. 2. qua. 5.* Nauar. *cap. 2. num. 36.* Vict. *relect. de pœn. num. 173.* Medin. *qua. 19. de modo secretè confitendi.* Pet. Sor. *lect. 5. de confess. & alij.* Sed eorum fundamētum est falsum, nimirum, quia scriptura est signum manifestum, & publicum, nemo verò tenetur satisfacere publice: nam adhiberi potest diligentia, qua scriptum rumpatur statim, ne manifestentur peccata.

12 QVAEST. *Per quam confessionem impletur hoc præceptum annue confessionis?* RESP. Dico primum. Impletur per eam, per quam fit verum sacramentum. Ita Theologi *in 4. dist. 17.* vbi Durand. *d. 14.* Sot. *d. 18. questio. prim. articu. 3.* Ledesm. *2. 4. questio. 8. articu. 2. dub. 12.* Pet. Sor. *lect. 8. de confessi.* Ratio est, quia hoc præceptum solum obligat ad recipiendum hoc sacramentum. Dico secundum. Non satisfit huic præcepto per confessionem fictam, qua quis fallit confessorem negando peccata.

Vel

Vel quando solum externe confitetur suam malam vitam, nullum tamen propositum emendæ, quales sunt prostituta meretrices, vsurarij publici, & alij peccatores impœnitentes. Ita Durand. in 4 d. 17. questio 14. Sor. d. 18. quest 3 art. 5. Pet. Soc. lect. 8. de pœn. Nauar. ca. 10. num. 4. Medin. quest. 24. de confess. ficta iteranda. Adrian. quest. 1. de confess. dub. 4. Ratio est, quia præceptum Ecclesiasticum solū est de determinatione tēporis, in quo obligat præceptum diuinum, vt docet Conc. Trid. sess. 14. ca. 5. can. 5. diuinum vero præceptum non impletur, nisi vera confessione. Scio oppositum docuisse Alensem p. 4. qua. 77. memb. 5. art. 7. Gab. in 4 d. 17. qu. 1. art. 3. dub. ult. Palud. qua. 7. Sylu. confess. 4. qu. Victor num 163 existimantes satisfieri huic præcepto per quamuis externam confessionem, quia inquit, Ecclesia non præcipit actus internos, & in ca. Quod quidem, de pœn. & remiss. admitti iubentur tales pœnitentes. Dico tamen Ecclesiam per accidens habere vim in actus internos, cum sine ijs exerceri nequeunt actus externi, vt videre est in præcepto orationis, sub quo cadit attentio, & deuotio interna. Cap. vero citatum est antiquius cap. Omnis, & ideo non gignit argumentum efficax. Dico tertium Non satisficit huic præcepto per externam confessionem, si ex aliquo, licet iusto euentu, sacramentum non fuit confectum. Ita Doct. Suar. tom de pœn. Ideo hi Auctores exponendi sunt, quo ad euitandas pœnas impostas ab Ecclesia non confessis, vt in materia de pœnitentia dicam, & infra.

¶ QVÆST. Que Ecclesiastica pœna imposta est transgressoribus huius præcepti? RESP. In iure communi nulla est certa pœna imposta, sed solum imponenda. Ita cap. Omnis utriusque. Arceantur ab ingressu Ecclesiæ, & careant Ecclesiastica sepultura, quæ pœnæ requirunt ferendam iudicis sententiam, iuxta cuius iuris tenorem recte dixit Cano. de pœnit. p. 5. fol. 122. requiri ad hanc pœnam, manifestationem transgressionis. In synodalibus tamen constitutionibus apponitur pœna excommunicationis ipso facto incurrenda transgressoribus huius præcepti. Quoniam vero hæc pœna non requirit probationem, incurritur etiam si crimen sit occultissimum. Vnde constat quam falso opinatus sit Durand. in 4 d. 17. quest. 14. Ecclesi-

Ecclesiam non posse punire hoc crimen contra sensum omnium Catholicorum Doctorum.

14. QVÆST. *Incurruntne hanc pœnam, qui fœte confitentur, non habentes propositum emendæ, quales sunt meretrices prostituta, & publici usurarij?* RESP. Cœtenim est puniri hæc pœna, qui in exteriori foro, se præsentat parochio confessori, tanquam subditus Ecclesiæ, notorius peccator sine proposito relinquendi malam vitam, etiam in exteriori foro. Ita Cord. *in sum. Hispan. qu. 1.* Ratio est, quia iste etiam exteriori foro transgreditur hoc præceptum. Res est dubia cū quis solo in interiori foro inuenitur à sacerdote incapax absolutionis: etiam tunc affirmat Sua. & Corduba *locus citatis*. Ratio est, quia iste in foro exteriori adhuc non recipit sacramentum. Res est multo magis dubia, de impœnitente ex malitia, & incapace sacramenti, absolute tamen à sacerdote ignorante illius impœnitentiam & fictionem, quia pœnitens se præsentat Ecclesiæ, in foro exteriori. Affirmant plurimi nullas tamen impœnitentem, & absolutum incurrere pœnas Ecclesiæ, quia inquit Ecclesia solum præcipit actus externos. Oppositum docet Magister Suarius. Ratio eius est, quia cum actus externi qui præcipiuntur, nequeunt fieri absque actu interiori, talis actus interior per accidens cadit sub Ecclesiæ potestatem. Item potest punire actus externos, qui informantur actu interiori, ut actus hæreticales, & similes. Non incurrer vero has pœnas, qui bona fide confiteretur, sed ex defectu occulto non recipit veram absolutionem. Ita Suarius. Sed existimat incurri huiusmodi censuram, quia Ecclesia præcipit, ut quis externe confiteatur vero animo, & intentione recipiendi sacramentum. Et quamvis Ecclesia non possit præcipere meros actus internos, quia non iudicat de interioribus, potest tamen præcipere actiones exteriores, quæ ut debite fiant requirant actum interiorem, ut est oratio externa, & potest punire actus externos, quia informantur actu interiori, ut actus hæreticalis, per accidens occultus: & punire actus interiores, quia non informantur vero, & debito actu interiori, ut possit excommunicare, qui baptizaret exterius sine intentione baptizandi, qui oraret exterius, sine mentis intentione, &c. ut constat ex materia de legibus.



15 **QVÆST.** Ex quibus signis colligitur peruenisse iam quemuis ad annos discretionis? **RESP.** Cum puer ob male factum verecundatur, & interrogatus, an liceat innocentem interficere, aliena inuadere, superiori maleficere, & alia huiusmodi, negatiue responder, & interrogatus, an bonum sit esurienti panem porrigere, adire Ecclesias, affirmatiue responder. Ita Nauar. capit. 21. numer. 33.

16 **QVÆST.** Vbi continetur hoc præceptum? **RESP.** Continetur cap. Omnis utriusque de pœnit. & remiss.

#### De Communione in Paschate. §. 4.

- 1 Quo in loco continetur præceptum, de Eucharistia sumenda.
- 2 In quo differt præceptum hoc à confessionis præcepto.
- 3 Qua anni parte debet adimpleri hoc præceptum.
- 4 Peccatne contra hoc præceptum excommunicari non communicando, per quem non stat, vt absoluetur.
- 5 Quoties obliget hoc præceptum.
- 6 An possit sacerdos absque transgressione huius præcepti communionem prorogare.

1 **QVÆSTIO.** Vbi continetur præceptum Ecclesiasticum cum de Eucharistia sumenda? **RESP.** Continetur cap. Omnis utriusque de pœnit. & remiss.

2 **QVÆST.** In quo differt hoc præceptum à præcepto confessionis? **RESP.** In duabus præcipue rebus. *Primo.* Quia debet impleri statuto tempore, ita vt illi non faciat per communionem intra annum susceptam, vt faciat per præcepto confitendi per confessionem intra annum factam modo supradicto. *Secundo.* Quia qui omisit tempore debito communicare, transacto eo, non tenetur eo præcepto, sicut qui non audiuit sacrum die festo, vel non ieiunauit die præstito, non tenetur altero die sacrum audire, vel à cibo abstinere. Oppositum vero dixi supra de præcepto annuæ confessionis. Ita Tolet. lib. 6. cap. 18. cum plurimis, quos citat.

3 **QVÆST.**

3 **QVÆST.** *Qua anni parte adimplendum est hoc præceptum?* **RES P.** *Iuxta cap. Omnis utriusque in die Paschatis Syllu. Euchar. 3. ait implendum à die Iouis sancti, vsque ad diem Paschatis. Iuxta vero Eugen. IV. rest. Navar. Cap. 21. num. 45. à Dominica Palmarum inclusivè, vsque ad Dominicam in Albis inclusivè. In Hispania autem ex privilegijs Clem. VIII. qualibet die quadragesimæ, vsque ad Dominicam in Albis inclusivè. Nisi confessarius aliter expedire indicaverit. Dixi. Nisi confessarius aliter expedire indicaverit. Quoniam tunc non peccat talis contra hoc præceptum vsque ad illud tempus prorogatum, causa vero iusta prorogationis non est ipsum peccatum, vel peccati occasio, quam impœnitens tollere non vult. Talis enim causa est iniustissima, sed expectata maior devotio, vel maior experientia summi propoliti, & perseverantiæ. Vel alia similis. Notat Viuald. de Eucharist.*

4 **QVÆST.** *Est quis excommunicatus, verumtamen peccatum non stat, ut absolvatur, rogo an peccat contra hoc præceptum non communicando?* **RESP.** *Minime. Ita Nau. capit. 21. num. 45.*

5 **QVÆST.** *Quoties obligat hoc præceptum?* **RES P.** *Olim ter in anno. capit. Et si non frequentius. d. 2. de consecrat. Nimirum in Paschate, Pentecolte, & Natali. Nunc vero ex præcepto cap. Omnis utriusque. solum obligamur semel in anno.*

6 **QVÆST.** *Potestne absque transgressione huius præcepti à proprio sacerdote prorogari communio, cum ita expedire indicaverit?* **RES P.** *Potest, ita habetur dicto cap. Omnis utriusque. Notat Viuald. de Eucharist. titul. de sacerdot. num. 10.*

## De soluendis decimis. §. 5.

- 1 *Vbi continetur hoc præceptum.*
- 2 *A quo accepit Ecclesia occasionem, ut præciperet decimas.*
- 3 *Sub qua pœna obligat hoc præceptum.*
- 4 *Quanta sint decimarum species.*

- 5 An decimæ prædiales debeantur ex omni fructu collecto.
- 6 An debeantur decimæ Ecclesiæ ministris ex solo iure humano.
- 7 An promittat Deus aliqua bona ijs, qui rectè decimant.

1 **Q**VAESTIO. Vbi continetur hoc præceptum? **R**ESP. Continetur cap. Tua nos de decimis, & alijs canonibus. Quæ de re D. Thom. 2. 2. quæst. 87. & Summa verba. Decimæ.

2 **Q**VAEST. Vnde habuit occasiorem sancta Ecclesiæ præcipiendas decimas? **R**ESP. Ex præcepto diuino iudiciali, imposito populo scriptæ legis, in sustentationem ministrorum templi, qui agriculturæ vacare non poterant. *Leuit. 23.*

3 **Q**VAEST. Sub cuius culpa reatu obligat hoc præceptum? **R**ESP. Sub mortali, secundum omnes Doctores, vbi consuetudo est, vt decimæ soluantur.

4 **Q**VAEST. Quot sunt species decimarum? **R**ESP. Tres. Quædam sunt prædiales, quæ soluantur ex terræ fructibus vt pote oleo, frumento, vino, & alijs eiusmodi. Quædam sunt personales, quæ soluantur ex fructibus, quos homo facit sua industria, vt ex venatione, negotiatione, & alijs actibus. Quædam sunt mixtæ, quæ quidem partem ex vno, partem ex altero habent: quales sunt decimæ, quæ soluantur ex fœtu animalium, quæ animalia indigent industria humana.

5 **Q**VAEST. Decimæ prædiales debentur ex omni fructu collecto, an deducenda sunt prius expensæ, & semina terra madata? **R**ESP. Ex omni fructu percepto. Ita Tolet. lib. 6. cap. 20. Nau. ca. 21. num. 31. latè.

6 **Q**VAEST. Debentur decimæ ministris Ecclesiasticis ex solo iure humano? **R**ESP. Decimæ quo ad quotam (ita vocant) id est, quo ad certam, & determinatam partem debentur ex solo iure Ecclesiæ, quæ sua lege certam portionem, & partem suis ministris assignauit. At vero quo ad congruam sustentationem, debentur ex ipso iure naturalis, circa quod dignus est operarius mercede sua. *Luc. 10.*

Ita

Ita D. Thom. quodlib. 2. art. 8. & quodlib. 6. art. 10. & 2. 2. qu. 87. art. 1. ibid. Caiet Nau. cap. 21. num. 88.

7 QVÆST. *Quæ bona promittit Deus ijs, qui rectè decimant?* RES P. Magna quidem. Nam Malach. cap. 3. ita inquit. *Inferte omnem decimam in horreum: & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem, usque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terra vestra, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum Ecclesiastici vero capit. 25. ita inquit. Non minuas primitias manuum tuarum, in exultatione sanctifica decimas tuas: quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.*

## CAPVT IX.

## De Excommunicatione.

## Definitur Excommunicatio. §. I.

- 1 *Quid est excommunicatio.*
- 2 *Quæ sunt communia fidelium bona.*
- 3 *An excommunicatus iam in gratia existens, priuetur Ecclesiæ suffragijs.*
- 4 *An excommunicatus, per quem non stat, vt absolua-  
tur, fruatur Ecclesiæ suffragijs.*

1 QVÆSTIO. *Quid est excommunicatio?* RES P. Est Ecclesiastica censura, qua homo Christianus bonis fidelium communibus priuatur. Ita Tolet. libr. 1. capit. 4.

2 QVÆST. *Quæ sunt fidelium communia bona, quibus per Ecclesiæ potestatem Christianus priuari potest?* RES P. Tria. Nimirum ista exterior conuersatio; quæ in mutuo colloquio, & conuictu consistit, secundum, Sacramentorum participatio. Tertium, Orationes, & suffragia Ecclesiæ. Quamobrem ista censura appellatur excommunicatio, quasi à communi bono separatio.

Medull. Casuum

Z

3<sup>ta</sup> QVÆST.

3 QVÆST. Priuaturne excommunicatus orationibus, & suffragiis Ecclesie, licet peccatorum facta pœnitentia gratiam adeptus? RESP. Probabile est non priuari. Ita censuit D. Thom. in 4. d. 18. qu. 2. art. 1. ad 2. & cum eo Toletus lib. 4. capit. 4. Sicut nec etiam priuatur orationibus particularibus, quas persona particularis pro illo fundit. Ita Hostiensis in sum. de sent. excom. num. 17.

4 QVÆST. Si per excommunicatum non fiat, ut obtineat absolutionem, fruiturne communibus Ecclesie suffragiis? RESP. Fruitur. Ita Turrec. in ca. Si quis Episc. 11. qu. 3. Richar. in 4. d. 18. D. Anton. 3. p. tit. 24. ca. 77. argumento text. in cap. Dixit. & c. Magna. iuncta Gloss. de pœn. d. 1.

### De excommunicationis diuisione. §. 2.

- 1 Quotuplex est excommunicatio.
- 2 Discrimen inter anathema & excommunicationem.
- 3 Quæ est excommunicatio à iure, quæ ab homine.
- 4 Vnde colligetur excommunicationem esse à iure, vel ab homine.
- 5 Discrimen inter excommunicationem à iure vel ab homine.
- 6 Quæ excommunicatio intelligenda est, quæ absolute profertur.

1 QVÆSTIO. Quotuplex est excommunicatio? RESP. Duplex, maior, & minor. Maior est, quæ priuat illis tribus communibus bonis supradictis. Minor, quæ priuat sola passiuâ participatione sacramentorum, cap. si celebrat. de cler. excomm. minist.

2 QVÆST. Quæ in re differt anathema ab excommunicatione? RESP. Non differt in vinculo: nam idem est, ut dicit Abbas in cap. cum ab Eccles. num. 5. de offic. ordin. Differt tamen quo ad solemnitatem, cuius forma habetur in qu. 3. cap. Debent. Et inferre tale anathema solum est Episcoporum, iuxta Gloss. communiter receptam in cap. cum ab Ecclesiarum de offic. Ordin. & ibi Abbas num. 5.

3 QVÆST.

3 QVÆST. Estne alia excommunicationis subdiuisio?  
 RES P. Maxime. Est enim alia excommunicatio à iure,  
 alia ab homine. A iure est, quæ per aliquem canonem  
 vel statutum, vel constitutionem fulminatur. Ab homi-  
 ne est, quæ per aliquem iudicem fertur. Vtraque aut est  
 ipso iure, seu facto, quæ scilicet statim contrauenien-  
 tes obligat absque alterius sententiæ expectatione. Alia  
 comminatoria, quæ scilicet expectat iudicis sententiam,  
 vt liget.

4 QVÆST. Vnde agnoscimus, esse excommunicationem ipso  
 iure, aut comminatoriam? RES P. Si tradatur hac forma,  
 sit excommunicatus; habeatur pro excommunicato, est ipso  
 iure, si autem tradatur verbis, sub pœna excommunicati-  
 onis, excommunicetur, vel similibus, est comminatoria. Ita  
 Gloss. capit. Si quis ex clericis, de vita & honest. cleric. Abb.  
 in cap. in quibusdam num. 6. de pœn. Latè Tiraquel. L. si un-  
 quam §. reuertatur.

5 QVÆST. Quod est discrimen inter excommunicationem  
 à iure, & ab homine? RES P. A iure semper est generalis.  
 cap. Vt animarum. §. statuto. de constit. lib. 6. Gloss. cap. Roma-  
 na de sentent. excomm. eodem lib. Ab homine vero aliquan-  
 do est generalis, aliquando particularis: contra scilicet  
 determinatam personam capit. Romana citato. Secundum  
 discrimen Posita ab homine cessat cessante vita iudi-  
 cis, vel quando ab officio remouetur, ita nimirum, vt  
 iam non liget contrauenientes, non vero desinit ligere,  
 iam ante iudicis mortem ligatos. Ita Abb. capit. à nobis ci-  
 tato. ibi Felya numer. 8. de sentent. excomm. Posita autem  
 à iure durat etiam post obitum iudicis, dum ius ipsum  
 durat. Ita Panorm. cap. Nobis. numer. 12. de sentent. excomm.  
 communiter receptus. Tertium discrimen. Ab excom-  
 municatione à iure, & non reseruata, potest Episcopus  
 absoluere: non vero ab excommunicatione ab homine.  
 cap. Pastoralis. §. praterea. de offic. iud. ordin. Quartum disci-  
 men. Excommunicatione à iure ligantur contrafacientes  
 intra territorium legislatoris, quamuis tempore legis-  
 latae, vel delicti non essent subditi respectu originis, vel  
 domicilij. Ita Gloss. capit. A nobis. i. vbi Abbas. numer. 6. &  
 Felynus nu. 1. Quintum discrimen excommunicatio in-  
 ducta per statutum Archiepiscopi Metropolitanæ ligat

non tantum subditos proprios ipsius Archiepiscopi, ratione diœcesis, quam habet distinctam a suis suffraganeis, sed & eos qui suffraganeis subditi sunt, & singulos totius prouinciæ. Excommunicatio vero lata per sententiam Metropolitanam tantum, afficit eps qui sunt diœcesis ipsius Metropolitanæ, & non suffraganeorum. *Gloss. in cap. Romana §. porro de sentent. excommun. lib. 6.* Doctores in cap. *A nobis. i. citato.* Limitat vero Henric Boicardus in dicto cap. *A nobis. num. 6.* respectu statuti editi in Concilio Prouinciali: alias si fieret in Concilio synodali, non ligaret, nisi subditos suæ diœcesis.

6 QVÆST. Pro qua excommunicatione accipiendâ est, quæ absolutè profertur à iudice nulla facta mentione maioris, vel minoris? RES P. Pro maiori. Ita habetur cap. *penult. de sentent. excommun.* Ratio est. Quia excommunicatio maior tantum est absolutè excommunicatio, & simpliciter minor vero, est secundum quid: verba autem absolutè prolata, sumuntur in significatione sua simpliciter. *L. Non aliud ff. de leg. 3.*

De ijs, qui possunt excommunicare. §. 3.

1 Qui possunt excommunicare.

2 An possit fœmina.

3 An possit laicus.

1 QVÆSTIO. Qui excommunicare possunt? RES P. Potest Papa, Concilium Generale, Concilium Prouinciale, Abbates, Generales Ordinum, Prouinciales, Guàrdiani. Denique omnes habentes iurisdictionem Ecclesiasticam in exteriori foro. Non potest vero fœmina. cap. *Dilecta de maior. & obedient. Nec laicus. ean. bene quidem. d. 96.* adiuncta Gloss. Abb. in cap. *Ecclesia sancta Maria. num. 5. de constit.*

2 QVÆST. Potestne fœmina ex commissione Papa excommunicare? RES P. Potest. Ita Panor. capit. *Decernimus de iudic. D. Anton. 3 p. tit. 25. cap. 75.*

3 QVÆST. Potestne laicus ex commissione eiusdem Papa excommunicare? RES P. Potest. Ita & sequitur, & ostendit Toletus lib. 1. cap. 6.

## De subiecto capace excommunicacionis. §. 5.

1 **Q**VAESTIO. *Qui possunt excommunicari?* **R**ESP. Homo determinatus, baptizatus, viuus, inferior, subditus, idem dico de foemina. Dicitur determinatus, quia tota ciuitas, aut collegium, simul excommunicari non possunt, nisi in particulari excommunicandi distinguantur. Ita habetur *cap. Romana, §. in uniuersitatem, de Sentent. excommun. in 6.* Sufficeret, si ratione criminis excommunicarentur: tunc enim non est periculum, ut excommunicatio cadat super innocentes, expositionem longiorem legito apud Toletum *lib. 1. cap. 7.*

## Ob quam causam ferri possit excommunicatio. §. 1.

- 1 De causa excommunicationis.
- 2 An possit ferri ob solum peccatum praeteritum.
- 3 An ferri possit pro transgressione praeccepti leuis.
- 4 An contrahatur non commisso peccato mortali.

1 **Q**VAESTIO. *Ob quam causam ferri potest excommunicatio?* **R**ESP. Ob solum peccatum mortale. *capit. nemo can. nullus. 11. qu. 1. ca. 1. de iud. ca. Sacro. de sent. excommun.*

2 **Q**VAEST. *Ob solum peccatum praeteritum ferri potest excommunicatio?* **R**ESP. Minime, nisi adsit contumacia praesens: nempe quando admonitus, ut desistat a peccato, id tenuit facere. Quod si paratus est corrigi, non incurrit excommunicationem *can. nemo allegato.* Tradit Pano. *capit. Reprehensum. 3. de appell. cum communi.* Scio tamen oppositum esse probabile, circa excommunicationem Papalem in poenam puram praeteriti criminis, sicut suspendi quis potest. Ita Toletus. *lib. 1. cap. 8.*

3 **Q**VAEST. *Potesne superior ferre excommunicationem in futurum, ob transgressionem rei leuis?* **R**ESP. Minime. Neque talis excommunicatio ligabit transgressores. Aduertendum tamen est aliquando ferri excommunicationem iusta de causa in communi, quae in particulari



non esset iusta, nec ligaret: tamen considerata causa in communi, obligat etiam in particulari: vt si excommunicentur, qui vinearum fructus surripiunt, vel surriperunt, nisi restituant, iusta est causa in communi, quia mortale est furtum notabilis quantitatis, & ideo excommunicatio obligat singulos, vt restituant sub mortali. Ita Sotus. 4. d. 22. qu. 1. art. 2. Tolet. lib. 1. cap. 8.

4. **QVAEST.** Cum igitur certum est me non peccasse mortaliter in tali facto, incurrone excommunicationem latam ob illud? **RESP.** Minimè. Adnotat Palud. 4. dist. 18. qu. 1. art. 2. & Toletus proxime. Hinc colliges non incurrere excommunicationem illum, qui aliquid clam surripuit in iustam recompensationem, quia alia via debitum recuperare non poterat. Ita Couarr. cum plurimis, lib. 1. reso. cap. 2. num. 15. Syluest. furtum. nu. 19. Neque item debitorem, qui excommunicatur ob debitum, cum non est solvendo: ligatur tamen cum primum potest. Ita Toletus proxime. Neque item, qui non reuelat crimen occultum, & iam emendatum, vel quod probabiliter speratur emendandum, adhibita fraterna correctione. Ita sanctus Thomas 2. 1. quæst. 33. art. 7. ad 3. Neque item, qui non producit occultas scripturas, quæ cedunt in graue detrimentum iustitiæ producentis. Neque item, qui in iudicio non detegit crimen, quod probare non potest, fecus si iuberetur solum denunciare ad correctionem delinquentis, qui non acquieuit fraternæ correctioni.

De ignorantibus excommunicationem. §. 6.

- 1 An liget ignorantes illam.
- 2 Quotuplex ignorantia.
- 3 Quæ ignorantia excusat ab excommunicatione.

1. **QVAESTIO.** Ligatne excommunicatio ignorantem illa inpositam, ob tale crimen? **RESP.** Nulla excommunicatio, tam à iure, quam ab homine ligat ignorantem. Ratio est, quia ad excommunicationis contractionem requiritur contumacia: non est vero contumacia, vbi est ignorantia.

2. **QVAEST.**

2 QVÆST. Quotuplex est ignorantia? R E S P. Duplex, alia iuris, alia facti. Facti ignorantia datur, cum facio rem, quam non puto me facere, vt verbi gratia, licet sciam me occidere hominem, nescio esse clericum. Iuris ignorantia datur, cum ignoro in iure esse positam pœnam excommunicationis percutienti clericum: ac proinde licet percutiam clericum, ignoro esse talem pœnam positam. Rursus ignorantia iuris, alia est iuris communis: alia iuris particularis. Præterea ignorantia alia est inuincibilis, quam iurisperiti appellant probabilem. Alia vincibilis, seu improbabilis, & hæc aut est crassa, aut supina. Est vero ignorantia inuincibilis, in eo, qui, quæ scire debuit, non potuit, vel si potuit, non debuit.

3 QVÆST. Quæ igitur ignorantia excusat ab excommunicatione? R E S P. Dico in primis. Ignorantia facti, siue liciti, siue illiciti secundum se excusat ab excommunicatione, cum inuincibilis est: non vero, cum est crassa. Ita Doctores communiter, & constat ex capit. Si vero de sententia excommunicat. Dico secundo. Ignorantia iuris, seu communis, seu particularis crassa, vel supina, non excusat ab excommunicatione. In hoc etiam Doctores concordantes sunt. Dico tertio. Ignorantia iuris particularis, cum inuincibilis est, excusat ab excommunicatione, cum factum erat alias licitum. Ita habetur absque controuersia, capit. Ut animarum. de constitut. Dico quarto. Ignorantia inuincibilis iuris particularis circa factum ex se illicitum excusat ab excommunicatione. Non omnes in hoc conveniunt, veruntamen ita tenet Anchar. cap. Ut animarum. numer. 6. Adrian. quest. 1 de Clau except. 5. Dico quinto. Ignorantia iuris communis excusat ab excommunicatione. Ita D. Anton. 3. p. tit. 25. capit. 33. Angel. excommunicatio. 7. cap. vlt. Sylu. Ignorantia. nu. 16 Sor. 4. sent. d. 23. quest. 1. art. 2. cum alijs multis. Ratio est, quia non dicitur contumax contra canonem Ecclesiæ, qui probabiliter illum ignorat. Et hanc ignorantiam tam iuris communis, quam iuris particularis ostendit Toletus excusare etiam circa factum ex se ipso illicitum, cui annexa est censura. lib. 1. cap. 8.

## De adiuuantibus causam excommunicationis. §. 7.

- 1 An excommunicatio comprehendat adiuuantes causam excommunicationis.
- 2 Licet effectus non consequatur.

**Q**VAESTIO. Cum excommunicatio, seu à iure, seu à homine fertur contra facientes, comprehenditne mandantes, consulentes, fauorem, vel auxilium prestantes?

**R**ESP. Minime. Nisi tenore verborum id exprimat, aut alijs iuribus id habeatur declaratum. Ita communiter Doctores, quos affert Iul. Clar. *prax. crim. quæst. 86. §. 2.* Caiet. *verbo excom. cum alijs.*

2 **Q**VAEST. Cum excommunicatio fertur circa facientes, & mandantes, & consulentes, comprehenditne eos, si effectus non sequitur? **R**ESP. Minime, ita Gloss. *cap. In audientiam. §. iniuriarum de sentent. excommunic.* Couarru. *in rubric. de homicid. 2. p. relect. numer. quinto.* Quod intelligo, nisi aliter exprimat in ipsa excommunicatione, ut exprimitur in ea, qua excommunicantur religiosi, qui conuocantur animo contrahendi auditores à solutione decimarum, quamuis non retrahant, *Clementina Cupiens. de pœnis. §. 1.*

Quæ sit forma excommunicationis. Quæ ceremoniæ ad illius valorem requiruntur. §. 8.

- 1 Quæ sit forma.
- 2 Quæ ceremoniæ seruandæ.
- 3 De necessitate obligante ad restringenda interualla motionum.
- 4 Quod interuallum satis sit.
- 5 An liceat aliquando omittere monitionem.
- 6 An sit apponenda causa in scripto.

1 **Q**VAESTIO. Quæ verborum forma seruanda inferenda excommunicatione? **R**ESP. Non sunt determinata verba, sub quibus excommunicatio inferenda

renda est, satis est dicere, sit anathema, excommunicatur: à communione separetur. Ita Hostien. *in sum. de sentent. excommun. §. qualiter. in principio.*

2 QVÆST. *Qua ceremonia seruanda in ferenda excommunicatione?* RESP. In ferenda excommunicatione ob præteritum peccatum cum contumacia, necesse est, præcedat trina monitio, cum competentibus interuallis. Ita decerpitur *capit. Constitutionem. in sexto.* sufficit autem vna admonitio pro tribus datis tribus interuallis, nisi facti necessitas persuaserit ista interualla moderanda, iuxta *cap. Constitut. citatum.*

3 QVÆST. *Qua necessitas sufficit ad interualla trium monitionum restringendæ?* RESP. Si partes essent ad rixam, & arma paratæ, nec curarent admonitionem Episcopi. Ita Gloss. *eiusdem capit. Constitut.*

4 QVÆST. *Quod spacium assignandum cuique interuallo admonitionum abque necessitate restrictionis?* RESP. Spacium duorum dierum. Quando autem admonitio fit, debent dari sex dies, exprimendo, vt duo primi sint pro prima: secundi pro secunda: tertij pro tertia admonitione. Ita Gloss. *proxime citata.*

5 QVÆST. *Estne casus, in quo liceat excommunicare absque præuia admonitione?* RESP. Maxime. Si quis propter delictum aliquod ligatus est excommunicatione à iure, excommunicari potest ab homine absque præmissa monitione. Ita adnotauit Abb. *antiquius capit. Reprehensib. de appellat. & Panormit. eod. capit. numer. 5. Toletus libr. 1. capit. 9.*

6 QVÆST. *Requiriturne alia ceremonia ad ferendam excommunicationem?* RESP. Requiritur, vt feratur in scriptis, in quibus exprimaturs causa excommunicationis. Ita habetur *cap. Cum medicinalis, de sentent. excommunic. in sexto.* Hoc intelligo, nisi esset periculum in mora, si in scriptis daretur. Ita Angel. *excommun. 2. §. 3. Gloss. cap. Cum medic. de sentent. excommun. verbo. Temerarius. Lapsus allegat. 73. Felyn. cap. Sacro num 7.*

De intentione excommunicantis, à qua  
pendet excommunicationis

vis. §. 9.

Z 5

1 An

- 1 An pendeat ab intentione excommunicantis.
- 2 An pendeat ab intentione petentis excommunicationem.
- 3 An qui petit excommunicationem, possit prorogare tempus incurrendi.

1 **Q**VAESTIO. Pendetne excommunicatio ab intentione ferentis illam? **R**ESP. Pendet ab eo, quod si non intendat ligare, sed tantum terrere, non ligat. Ita Panormitan. cap. Ex parte num. 6. de offic. Ordin.

2 **Q**VAEST. Pendetne ab intentione illum petentis? **R**ESP. Pendet, & ideo si quis petit sententiam excommunicationis ferri in eos, qui sibi ablata non restitunt, & tamen non intendit filios ligare, quamvis excommunicatio generalis sit, filij furantes non ligantur: Ita Angel. excommunic. 3. §. 16. Quia officium iudicis requisiti, non excedit intentionem requirentis. Hinc sequitur, quod si pars velit non incurrere excommunicationem, debitorem, ita excommunicatum, si non soluat intra certum tempus, excommunicationem non incurrere, si non soluat.

3 **Q**VAEST. Poteritne pars prorogare terminum praefixum solutioni, ita ut si fuerit duorum mensium, proroget ad tertium, & tunc velit ligari, non vero antea? **R**ESP. Probabilius est posse. Ita Panormit. capi. Praeterea 2. de appell. num. 4. ibid. Decius, Toletus lib. 1. cap. 9.

De causae expressione, claritate, & modo quo manifestanda est. §. 10.

- 1 An requiratur expressio causae.
- 2 An causa debeat esse manifesta.

1 **Q**VAESTIO. Tenetne excommunicatio, que fertur absque causa expressione? **R**ESP. Tenet. Ita Hostiensis cap. Per tuas numer. 3. verbo quod si dicatur. de sentent. excommun.

2 **Q**VAEST. Causa excommunicationis debet esse manifesta? **R**ESP. Debet, nec sufficit, ut sit nota ipsi soli excommunicanti. cap. Si tantum. cap. Placuit. 6. quest. 2. Abbas. ca. Sacrorum. 4. ibidem Felyn. num. 1. de sent. excomm. Gloss. in dicto cap. Si tantum. verb. inbeatur.

De pœna non seruantis ordinem excom-  
municandi. §. II.

- 1 De pœna omittentis trinam monitionem.
- 2 De pœna excommunicantis voce non scripta.
- 3 An hæc pœna comprehendat omnes excommuni-  
cantes.

1 **Q**VAESTIO. Quæ pœna imposta est ferenti excommuni-  
cationem absque præmissa monitione trina? **R**ESP. In-  
terdicitur per mensem ab ingressu Ecclesiæ. *capit. Sacro. de sent. excom.*

2 **Q**VAEST. Quam pœnam incurrit ferens excommunica-  
tionem voce, non scripta? **R**ESP. Suspensionem per mensem  
ab ingressu Ecclesiæ, & participatione diuinorum offi-  
ciorum, ita vt exercens actum aliquem ordinis intra ta-  
lem mensem, fiat irregularis à solo Papa dispensabilis.  
*capit. cum medicin. de sentent. excom. in 6.*

3 **Q**VAEST. Ista pœna ligant omnes ferentes absque præmissa  
monitione, & in scriptis excommunicationem? **R**ESP. Minime,  
neque enim ligant Episcopos, aut superiores Præla-  
tos, quia in ijs non fit eorum expressa mentio, vt fieri  
debet ad contrahendum ab eis iplo facto iuris suspensi-  
onem, iuxta *cap. Quia pericul. de sentent. excommunic. in 6.*  
Nec item superiores Religionum. Ita Lopus *allegation.*  
73. Felyn. *cap. Sacro num. 7.* Nam in istis prælatis, non ser-  
uatur iuris ordo, sicut in sæcularibus. Durum enim esset  
præ lato regulari, qui sæpius in die, monet, increpat, &  
præcipit subditis habere pennam, & papyrum, & ante  
scribere, quam sup. pœn. excom. mandare.

Qui sunt effectus maioris excommu-  
nicationis. §. II.

- 1 Numerantur huiusmodi effectus.
- 2 Quæ sunt externa communia bona.
- 3 De valore contractus facti cum excommunica-  
to.
- 4 An excommunicatus possit agere in iudicio.

§. An

5 An aliquis contractus factus cum excommunicato sit inualidus.

9 An possit manere sub eodem tecto, sed sub diuersis locis.

1 QVÆSTIO. Qui sunt effectus maioris excommunicationis? RESP. Primus est priuare communibus Ecclesiæ suffragijs, ita vt nec missas, nec publicas orationes liceat pro eo fundere, aut celebrare nomine scilicet ipsius Ecclesiæ, nam nomine particularis personæ possunt quæcunque orationes pro excommunicato offerri. Ita D. Thom. in 4. d. 18. quest. 2. artic. 1. quest. 1. ad 2. etiam in memento missæ, vt ait Sylu. excommun. 1. §. 2. Secundus effectus, est priuare susceptione sacramentorum tam actiua, quam passiuæ, ita vt nec sacramenta ministrare, nec suscipere absque mortali peccato possit. Ita Doctores in can. Euangelium 3. quest. 4. Tertius effectus est, priuare exterijs quibusdam bonis communibus.

2 QVÆST. Quæ sunt externa communia bona, quibus excommunicatio priuat excommunicatum? RESP. Continentur quidem in hoc versu.

*Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.*

Negatur *os*, id est, collocutio, quouis modo, verbo, signo, scripto prolata. Negatur *orare*, id est, simul cum alijs diuinis interesse, sacro audiendo, orando, recitando, cantando in choro, diuinis officijs adesse, sacramenta suscipere. Negatur *Vale*, id est, salutatio, honoris exhibitio aperiendo caput, donorum missio, & simile quid. Negatur *Communio*, id est, humanus, & ciuilis contractus. Negatur *Mensa*, id est, simul in vna mensa conuolci, in vno lecto dormire.

3 QVÆST. Valetne contractus humanus, & ciuilis factus cum excommunicato? RESP. Si contrahit tanquam priuata persona, valet contractus in fauorem cum illo contrahentium, non verò in fauorem ipsius excommunicati. Ita Hostiens. ca. Si vere & ca. Veritatis de dolo, & contumac. Verumetiam in excommunicati fauorem valere, tenet Innocent. cap. Veritatis num. 1. de dol. & contumac. Abb. nu. 35. sum. confest. lib. 3. tit. 35. qu. 1. 32. circa finem. Sylu. Excomm. 3. in fin.

3. in fine. Et ita obtinuit consuetudo, teste Henr Boic. cap. Veritatis. citato num. 18. Licet excommunicatio sit publica, ut notat Tolet. lib. 1. cap. 11.

4. QVÆST. Quoniam dixisti contractum factum cum excommunicato esse validum, rogo ulterius, an ipse excommunicatus agere possit in iudicio? RES P. Minime. Ita tradunt Innocent. Abb. Henric. Boic. supra Ancharan. in cap. Pia. §. si quis numer. 2. versu. aut facit de except. L. 6. Et probatur ex capit. Intelleximus. de iud. vbi responsio negativa expressè habetur.

5. QVÆST. Esne aliquis contractus factus cum excommunicato inualidus? RES P. Maxime. Nam si excommunicatus est beneficiatus, & contrahit super bonis Ecclesiæ, actus nihil valet. capi. Veritatis. in fine. de dolo, & contumacia. Ita docet Decius cum alijs, quos citat. in capi. Pastorali. §. verum coll. 3. de appell. Quæ doctrina intelligenda est de excommunicato publico: nam si est occultus, valent huiusmodi contractus. Ita Abb. cap. Veritatis citato, num. 3. Syluest. excomm. 3. quæ 15 num. 5. Toletus. lib. 1. cap. 11. num. 4.

6. QVÆST. poteritne excommunicatus manere in eadem domo, non ut simul conueniens, & habitans, sed tanquam in aliâ domo, quia sunt distincta camera? RES P. Maxime. Ita respondet Innoc. ca. Nuper. de senient. excomm. un. Anton. 3. p. titul. 24. capit. 2. Imo poterit habitare in eodem cubiculo tanquam alienus habitator, iuxta Innocent. loco præallegato.

Quæ culpa committitur, & quæ censura incurritur, ob communicationem cum excommunicato. §. 13.

1 De culpa.

2 De pœna.

1. QVÆSTIO. Qua culpa committitur in participatione harum dictarum rerum cum excommunicato? RES P. Lethalis, si communicatur in diuinis: venialis, si communicatur in humanis.

2. QVÆST. Quæ pœna incurritur, ob talem communicationem? RES P. Omnes communicantes contrahunt minorem

rem



rem excommunicationem, iuxta *capit. Nuper de sentent. excomm.* Si tamen clericus communicaret cum excommunicato à Papa sponte, & scienter in diuinis, Papalem contraheret excommunicationem, iuxta *cap. Significandi de sentent. excomm.*

Qui excommunicati sunt euitandi. §. 14.

- 1 Quos excommunicatos euitare tenemur.
- 2 Quis dicitur nominatim declaratus, & denunciatus.
- 3 Quid requiritur, vt quis nominatim denunciatur.

1 **Q**UÆSTIO. Quos excommunicatos euitare circa illi quinque, Os, orare, vale, &c. iubemur? **R**ESP. Solos notorios clerici percussores, & nominatim declaratos, atque denunciatos: ceteros vero, siue à iure, siue ab homine, etiam nominatim excommunicatos euitare, nec in humanis, nec in diuinis tenemur. Ita decreuit Martinus V. in *Extrauag. Ad euitanda*. Hic vero fauor non est ipsorum excommunicatorum, non enim ipsi se immiscere possunt siue in diuinis, siue in humanis. Sed semper tenentur abstinere à communione fidelium, vt notauit Nauar. de *poen. d. 6. ca. 1. §. labore*. Couar. *relect. cap. Alma mater. p. priori. §. 2. num. 11. Tolet. lib. 1. ca. 12.*

2 **Q**UÆST. Qui dicitur nominatim declaratus, & denunciatus excommunicatus? **R**ESP. Qui est, vt talis, sententia iudicis declaratus contraxisse excommunicationem, atque poterit esse nominatim, & notorie excommunicatus, & qui sub pœna excommunicationis ipso facto iubeatur comparere, & ipse contumaciter non comparet, & tamen non est nominatim denunciatus, quia adhuc non dixit ipsum esse talem.

3 **Q**UÆST. Quid requiritur, vt nominatim denunciatur quis excommunicatus? **R**ESP. Vt nomine proprio expresso, aut alijs appositis signis, quæ significant illum esse excommunicatum, certe, & omni dubio procul. *L. Nominatim. ff. de cond. & demonstr.*

Aliqua-

Aliquando incurritur maior excommunicatio  
agendo cum excommunicato. §. 15.

1 Quando incurritur huiusmodi pæn.

1 QVÆSTIO. In quibus casibus incurritur excommuni-  
nicatio maior, communicando cum excommunicato?

Cum quis in primis cum excommunicato in eo-  
dem crimine propter quod excommunicatus est, parti-  
cipat, eadem excommunicatione innodatur. Ita habetur.  
*cap. nuper. de sentent. excommun.* Participat autem, qui  
illi ad id crimen dat auxilium, aut fauorem, aut consili-  
um, postquam propter illud fuit excommunicatus, non  
vero ante excommunicationem. Hoc vocant Doctores,  
participare cum excommunicato in crimine criminoso.  
Deinde qui communicat cum excommunicato de par-  
ticipantibus.

De ijs, ad quæ redditur inhabilis excom-  
municatus. §. 16.

1 Ad quæ redditur inhabilis excommunicatus.

2 De inhabilitate ad fructus beneficij faciendi.

3 Cui cedunt fructus perditæ ab excommunicato.

1 QVÆSTIO. Ad quid redditur inhabilis excommunica-  
tus? R. E. SP. In primis ad beneficium suscipiendum

nam collatio beneficij facta excommunicato est  
ipso iure nulla. *ca. Pastoralis de cler. excom. minist.* Nec vali-  
datur collatio præterita, per absolutionem excommuni-  
cationis, sed indiget noua collatione. *ca. Postulasti. de cler.  
non ordin. minist. ibi Gloss & Doctores.* Deinde queuis im-  
petratio literarum à Papa, & quoduis rescriptum, nisi sit  
super articulum excommunicationis, vel appellationis,  
est ipso iure nullum. *ca. de rescript. in 6. Tertio.* Non potest  
eligi ad beneficium Ecclesiasticum. *capit. Constitutis. 1 de  
appel. ibi Glos. & cõsequenter, nec postulari, nec præterari  
ad beneficium patronatus.* Quia eadem est ratio electi-  
onis, postulationis, & præsentationis iuxta *Gloss. capit.  
Quoniam de election. in 6. & Couarius. capit. Alma mater. 1.  
p. §. 7. numer. 1. & 2.* Et idem esse de pensionibus censuit  
Gigas *tractat. de pension. qu. 24.* cui consentit Couar. *proxi-  
ms. & Toletus lib. 1. c. 13.* Item nec potest eligi in Regē, Im-  
peratorem,

peratorem, vel ducem, & si eligatur, electio est ipso iure nulla. *cap. Venerabilem. de elect.* Quarto Non potest excommunicatus exercere actum Iurisdictionis. Imo facta per eum, cum publicus est, nulla sunt, & sententiæ per eum latae, etiam nullæ. *capit. Ad probandum de sentent. & de iud.* Ideo nec eligere, nec præsentare potest, & si factus actus est nullus, *cap. Cum inter. in fine de elect. cap. Cum delectus de consuet.* Ita dicunt Ioann. Andr. *capit. Pia. col. 1. in fine, de excep lib. 6* & Abbas *in cap. Ad probandum de re iud. numer. 20.* Si tamen excommunicatio sit occulta, actus valet. Ita Abb. *proxime num. 15.* Felyn. *num. 3.* cum communi opinione per *L. Barbarius. ff. de offic. presb.* Quinto. Non potest exercere actum ordinis cuiusvis. Imo si exerceat fit irregularis. *cap. Cum medic de sentent. excom. in 6. & in Gloss. Sexto.* Non illi manent obnoxij, qui illi promiserunt verbaliter, etiam cum iuramento, excommunicatione durante. *Can. non sanctorum. & can. iuratos 15. quæ 6.* Septimo. Non potest accusare, testificari, patrocinari, procurare, *cap. Decernimus. de sentent. excomm in 6.* Nec reconuenire. *capit. Cum inter priorem. de except.* Oñiam Mortuus in excommunicatione priuatur ecclesiastica sepultura, & est exhumandus, si iam sepultus est. *cap. Si eris de sepult.* Hoc intelligo de nominatim denunciato, vel notorio clerici percussore. Per quem stetit absolutio ab excommunicatione, & ideo mortuus est in contumacia censuræ. Nam si confessus in articulo mortis, vel contritus, hoc est, dans signa contritionis externa obiit, absolendus est ab eo, qui poterat censuram tollere, & humandus in loco sacro: si vero humatus est in loco profano, inde extrahendus. Ita Rosel. *absolui §. 21.* Nauus *Manual. cap. 26. num. 52.* notatque Rodericus *in Bulla §. 10. num. 1.* Nono. Clericus perseverans in excommunicatione ultra annum, poterit priuati beneficijs, quæ obtinet, Abb. & Doct. *cap. Cum bene. de atat. & qualitat. Couarru. cap. Alma p. 1 §. 7. numer. 10.* Decimo. Conuentus se per crimine ciuilitate, vel criminaliter, & ob contumaciam excommunicatus, censetur conuictus de crimine, cuius fuit accusatus. Ita Couarru. *proxime cum alijs Vnde. timo.* Qui per annum permanet in excommunicatione, efficitur suspectus de hæresi. *cap. vlt. de pœnis. vbi Panormi & Docto.*

& Doctores. Hæc autem suspicio iuxta Inquisitorum praxim est leuis, ita adnotat Simaneh. *capit. 27. Institut.* Quæ doctrina etiam traditur manifestissimis verbis in Concil. Trident. *sessi 25. capit. 3. Duodecimo.* Suspectus de hæresi, & ea de causa vocatus ab Inquisitoribus, iudicium subterfugiens, & ob eam contumaciam excommunicatus, si ad annum in ea persistat, tanquam conuictus de hæresi, est pronunciandus hæreticus. Ita *cap. Cum contumacia. ibi Gloss. in 6. capit. Excommunicat. §. qui autem de her.* Ad hanc pœnâ incurrendam requiritur vera contumacia, & vt nominatim citetur, tanquam suspectus de hæresi, saltem in communi, ita cum alijs Tolet. *lib. 1. cap. 13. Decimotertio.* Excommunicatus non facit fructus beneficij. Ita Palud. *4. d. 18. quest. 4. Sylu. Clericus 4. questio. 25. Decius cap. Pastoralis §. verum col. 3. Armil. excommunicatio num. 9. sum. confes. lib. 1. tit. 33. quest. 81.*

2 QVÆST. Circa hunc ultimum effectum quæro ex te, an ad priuationem fructuum requiratur contumacia, ita vt per ipsum excommunicatum stet non absolui? R E S P. Contumaciam requirunt, Armil. & Sum. confes. proxime. Contrarium tamen tenet communis doctrina, asserens excommunicatum ante absolutionem, absolute non facere fructus beneficij. Ita Panorm. *cap. Pastoralis §. verum num. 2. de appell. Gloss. cap. studeat. d. 50. Hostiens. in sum. rubr. de sentent. excommuni. num. 11. Innocent. ca. Pastoral. num. 4. Puteol. decis. 280. lib. 1. Neque ad propria alimenta, nisi fame periret. Gloss. in d. §. verum, & ibi Abb. num. 16. Couar. lib. 3. resol. ca. 13. nu. 8. vers. 12.*

3 QVÆST. Cuius igitur fiunt fructus beneficij excommunicati? R E S P. Ecclesiæ. Ita Abbas loco citato. Si tamen sint distributiones, accrescunt alijs beneficiatis, non Ecclesiæ. Ita Gloss. Clem. 2. versu pars dimidia. de atat. & quali. Decius cap. Pastoral. §. verum col. 3. de appell.

De absolutione excommunicationis. §. 17.

3 Qui est ligatus multis excommunicationibus, indiget multis absolutionibus?

Medull. Casuum.

A a

2 An

2 An absolutio ab excommunicatione dari possit à non sacerdote.

3 An excommunicatus possit absolui inuitus.

4 Quae conditiones requirantur, ad valorem absolutionis ab excommunicatione.

1 **Q**VAESTIO. Supposito, quod possit quis ligari multis excommunicationibus, ut habetur 3. question. 4. ca. Engeltrud. docetque Glossa. ibidem cum communi Doctor. Rogo, utrum ligatus multis excommunicationibus inagat at multis absolutionibus? **R**ESP. Si omnes sunt relaxandae, sufficit vna generalis, ab omni, nimirum, censura excommunicationis. Ita Innoc. ca. Cum pro causa de (ent. excommunic. Si tamen vna relaxanda est, & non alia (ut quidem relaxari potest) plures absolutiones sunt impedienda. Ita Palud. d. 18. qu. 5. art. 3.

2 **Q**VAEST. Absolutio excommunicationis darine potest à non sacerdote? **R**ESP. Potest etiam si nec diaconus, nec subdiaconus sit Ita Sylu. absolutio. 1. §. 3. Angel. absolutio. 1. §. 1. Ioan. And. & Henr. ubi sup.

3 **Q**VAEST. Potestne excommunicatus absolui ab excommunicatione inuitus? **R**ESP. Potest. Ita Palud. citato loco, Dicit Thom. 4. d. 18. quest. 2. artic. 5. question. 2. Imo in sciis, & ignarus absolui potest. Ita Toletus. libr. 1. ca. 14. nu. 5.

4 **Q**VAEST. Quae conditiones requiruntur, ut apta sit, & valida absolutio? **R**ESP. In primis debet fieri absoluta, sine conditione futuri, actum suspendente, quia tunc nulla est. capit. Actus de irregul. iurament. in 6, ut si quis dicat, absoluo te, si restitueris. Ita Panormitan. capit. De quibus, de baptis. Sylu. absolutio. 3. §. 1. Deinde, absolutio excommunicationis à iure cum datur ab eo, cui de iure competit, valet, quamuis prius id non fiat, quod canon praecipit, puta satisfacere, vel quid aliud. Ita Innocent. capit. Cum ab Ecclesi. numer. 6. de offic. Ordin. Tamen non valet data ab eo, cui de iure non competit, sed ex mandato, vel commissione. Ita Nau. cap. 27. num. 37. Ang. excom. 3. §. 1. etiam si sit articulus mortis, si potuit seruari forma mandati, vel canonis. Tertio. Absolutio obtenta in foro conscientiae, etiam praemissa satisfactione non prodest in foro

foro exteriori. Cou. ca. Alm. 1 p § 11 num. 15. vers. 3. Quarto. Facultas absoluendi à quibuscunque censuris concessa per Iubilæum, aut bullas confessarijs, solum forum interius concernunt. Ita Couar. proxime, & Paris. cons. 67. nu. 20. lib. 4. Tolet. lib. 1. cap. 14. Quinto. Absolutio iniusta valet. ca. venerabilibus §. ubi de sent. excom. in 6. etiam si sit iniusta ex parte causæ. Innoc. cap. cum ab Ecclesi numer. 6. de offic. ordin. Sexto. Nam valet absolutio, licet ex iusta causa petita per vim, metumve extorta. cap. unico de his, qua vi metus. in 6. Septimo. Non valet absolutio, quando causa est falsa. Innoc. capit. ex parte de offic. Ordin. ibi Gloss. vers. redire. Deducitur ex cap. Officij & Gloss. de sent. excom. Abb. cap. cum pro sua. in fine. de sent. excom.

Qui possunt absoluere ab excommunicatione. §. 18.

- 1 Quilibet sacerdos in articulo mortis potest absoluere.
- 2 Non laicus etiam in eo articulo.
- 3 Seruandus etiam in eo articulo ordo maioritatis.
- 4 Potestne mortuus in excommunicatione absolui ab ea post mortem.
- 5 Quot testes requiruntur ad probandum dedisse huiusmodi conditionis signa.

**Q**UÆSTIO. Quis potest absoluere ab excommunicatione? **R**ESP. In primis in articulo mortis quilibet sacerdos. Quia in eo articulo, nulla est reseruatior. Ex Trident. sess. 14. cap. 7. Quod ius an etiam sit diuinum, controuertunt Doctores, cuius partem affirmantem tenuit D. Thom. in 4. sent. d. 20. quest. 1. ar. 3. Durand. 4. d. 19. qu. 2. Palud. d. 20. qu. 1. ar. 2.

**2** **Q**UÆST. Deficiente sacerdote, vel proprio, vel simplici in articulo mortis potestne absoluere laicus? **R**ESP. Minime. Ita Panorm. cap. A nobis 2. de sent. excom. Ratio est. Quia talis absoluendi facultas conceditur, vt absoluatur à peccatis: cum igitur laicus non possit absoluere à peccatis, neque etiam absoluere potest à censura.

**3** **Q**UÆST. Presente superiore, qui potest absoluere à censura, potestne absoluere simplex sacerdos? **R**ESP. Minime,

aa a

neque

neque etiam in articulo mortis. Ita Innocent. cap. 1. & cap. Nuper. de sent. excom.

4 QVAEST. Potestne mortuus in excommunicatione, absolui ab ea post mortem? R E S P. Potest, si petijt pœnitentiã, & signa contritionis ostendit: ab eo tamen cui reseruat est excommunicatio cap. A nobis. 2. de sent. excomm. & ita Panorm. & Innocent. locis citatis.

5 QVAEST. Quot testes requiruntur, ad probandum de huiusmodi contritionis signa? R E S P. Sufficit vnus fide dignus. Ita Henric. Boic. cap. A nobis cit. num. 6. Astenf. lib. 5. tit. 16. Tolet. lib. 1. cap. 15.

De Cœnæ Domini excommunicationibus præcipuis, & difficilioribus intellectu. §. 19.

- 1 De excommunicatione lata contra hæreticos, & hæreticorum fautores.
- 2 An fautor hæretici sit intelligendus, qui ei fauet ad solam amicitiam ostendendam.
- 3 De legentibus libros hæreticorum.
- 4 De excommunicatione lata in pyratas.
- 5 De excommunicatione lata in capientes naufragantium bona.

1 QVAESTIO. Quot sunt excommunicationis bullæ, in Cœna Domini lata. & summo Pontifici reseruatæ? Prima fertur contra hæreticos, cuiuscunque hæresis, & eorum credentes, receptatores, fautores, quolibet eorum defensores, contra scienter legentes, absque sedis Apostolicæ facultate, libros hæreticorum, hæreticorum continentis, vel de religione tractantes, contra retinere huiusmodi libros, imprimentes, quomodo libet defendentes, quauis causa, publice, vel occulte, quouis ingenio, vel colore: contra schismaticos, eosque, qui à Romani Pontificis obedientia pertinaciter se subtrahunt. Hæreticus intelligendus est, qui externe hæreticarium opus fecit. Nam ab hæresi interna, & mentali, potest quilibet proprius, vel alius habens in peccatorum absolutionem

tionem iurisdictionem, absoluere. Ita docet Alenf. 2. p. quest. 18. num. 2. D. Thom. 1. 2. quest. 91. art. 4. D. Anton. 3. p. tit. 25. cap. 4. Caiet. verb. hæresis. Palud. in 4. d. 13. quest. 3. Toletus lib. 1. cap. 19. cum alijs multis. Intelligendus præterea hæreticus formaliter, hoc est, qui non solum externe ob metum, vel aliam passionem, sed interius fidem negavit. Et ideo qui tantum externe fidem negavit, non incurrit hanc excommunicationem. Ita D. Anton. 3. p. tit. 12. capit. 5. Tabien. verb. hæreticus numer. 1. Sylvest. hæresis 1. §. 9. Toletus proxime. Sufficit tamen quoduis signum exterius interiorem errorem manifestans, quamvis occultissimum, ut inducat hanc excommunicationem. Ita Caiet. verb. hæresis. Sylu. excommunicatio. 7. §. 3. Gloss. 2. 4. quest. 1. can. Achatius. 1. Palud. 4. dict. 13. quest. 3. Credentes hæreticorum sunt ij, qui nullum explicitè errorem profitentes, dicunt se habere fidem, quam profiteretur talis hæreticus, ut solent rustici catholici dicere se habere fidem Ecclesiæ, approbando illorum vitam, dicta, & facta. Ita Archid. cap. Quicumque de hæretic. in 6. Palud. in 4. sentent. dict. 13. quest. 3. Sylu. hæresis 1. §. 10. Receptatores sunt ij, qui eo solum animo hæreticos recipiunt, ut occultent ne ob hæresim comprehendantur, vel puniantur. Ita Archid. Palud. Sylu. proxime. Tabien. excom. 5. cap. 2. num. 7. Deducitur ex L. 1. ff. de recept. L. Congruit. ff. de offic. præsidis. Unde qui ob alium finem & causam recipit, non incurrit huiusmodi excommunicationem. Fautores hæreticorum sunt, qui ijs, ut talibus. verbo, literis, aut facto fauent, ut qui mittit munera, accommodat arma quibus se defendat ab Inquisitoribus, equum, in quo fugiat Inquisitorum satellites. Ita D. Anton. tractat. de excomm. cap. 4. iuxta cap. Accusatus. de hæretic. num. 6. Præterea sunt ij, qui cum ex officio teneantur hæreticos punire, vel in carcerem mittere, non faciunt, neque contra eos procedunt, iuxta cap. Ad abol. de hæreticis. Ita Archid. Palud. & Sylu. qui addit etiam hæreticorum fautores censerit eos, qui cum iuramento se obstrinxerint de deferendis, & accusandis hæreticis, nec deferunt, nec accusant, ut sunt familiares ( sic vocant ) Inquisitionis. Non tamen alij, qui ex sola charitate obligantur illos deferre. Ita Sylu. proxime, & Tolet. lib. 1. cap. 19. Defensores hæreticorum



corum vel credentium eis sunt ij, qui viribus, aut potentia defendunt hereticos ne veniant in manus iudicum puniendi, aut excommunicandi, aut capiendi ob hæresim. Ita Arch. cap. *Quicumque de hæret. in 6.* Sylu. *hæresis. 1. 6. 10.* Item est defensor, qui patrocinium præstat, aut adducat in causa hæresis, ita Card. *in Clem. 1. de pœn.*

2 QVÆST. *Adhuc circa receptores, fautores, & defensores hereticorum, superest dubium explicandum. Scilicet utrum incurrant huiusmodi excommunicationem solum ij, qui recipiunt, fauent, aut defendunt hereticum, affectu hæresis defendenda? RESP.* Ita censuit Caietan. *verb. excommunicatio. 1. Nau. capit. 27. numer. 56.* Falsa tamen est opinio, credendumque incurrere hanc excommunicationem, etiam cum recipiunt, fauent, & defendunt scienter hereticum in causa hæresis, vt amicitiam ostendant, benevolentiam, &cæt. detestando hæresim. Ita Toleros *proxime.*

3 QVÆST. *Dic de legentibus libros hereticorum? RESP.* Contrahunt hanc excommunicationem scienter legentes eos duntaxat libros hereticorum Auctorum, qui continent hereticorum errores, vel de religione tractant, etiam si in eis error non contineatur, seu legant ad errores impugnandos, seu cognoscendos ob eruditionem siue per multas siue etiam per paucas lineas. Hereticorum dixi Auctorum, quia in nostra Lusitania non prohibentur Catholicorum libri qui de hereticorum erroribus agunt. Qui vero aliquos libros prohibitos in Catalogo legunt, incidunt in aliam excommunicationem latam contra legentes libros prohibitos. Iudicandum tamen est iuxta sensum, & verbum cuiusque Catalogi. Enim vero in Catalogo Lusitano non prohibentur sub excommunicatione libri prohibiti ob solos bonos mores, sed sub mortali tantum peccato.

4 QVÆST. *Circa tertiam excommunicationem latam contra pyratas dic quid sentis? RESP.* Pyrata est qui in mari deprædatur. Duo requiruntur ad hanc excommunicationem. *Primum*, vt mari vageretur animo spoliandi. *Secundum*, vt non spoliet iure belli quod intercedit inter certas nationes, Syluester addit requiri, vt spoliet omnes indifferentes, non vero homines vnus tantum certæ nationis,

tionis, sed hanc conditionem superflue appositam merito arbitratu Toletus *lib. 1. cap. 20.* Necesse tamen est, ut spoliati sint Christiani, nam qui infideles spoliant, non incidunt in hanc excommunicationem. Incidunt vero in eam, uti primum mari vagari incipiunt, animo spoliandi Christianos, antequam eos spolient. Ita Toletus *proxime,* contra Caietanum *excom. cap. 18.* Sunt etiam excommunicati receptores horum pyratarum, auxilium, vel fauorem eis dantes, ut talibus, sed ponderanda sunt verba cuiusque bullæ.

5 QVÆST. In quos fertur quarta excommunicatio cœnæ?  
RESP. In eos qui surripiunt Christianorum naufragantium bona, siue in manibus existentia, siue ex eisdem eiecta, siue in littore inuenta. In hanc excommunicationem incidunt, qui surripiunt, seu colligunt animo surripiendi, & retinendi, licet postea, mutato animo, restituant. Qui enim animo reddendi dominis, cum primum nouerit, ea capit, non dicitur surripere, nec excommunicatus est.

De excommunicatione lata in clericorum percussores, atque soli Papæ referuata. §. 20.

- 1 Vbi sit huiusmodi excommunicatio.
- 2 Quid intelligatur per manus iniectiōem.
- 3 Quis per clericum intelligatur.
- 4 Quis etiam intelligatur per monachum.
- 5 An incurrat hanc excommunicationem, qui percussit clericum aut monachum mortuum.
- 6 Ad quos huiusmodi excommunicatio extendatur.
- 7 Quotuplex detur lesio.

1 QVÆSTIO. Quo in loco Iuris Communis habetur huiusmodi excommunicatio? RESP. Habetur 17 quæstio. quanto *can. si quis suadente diabolo.* his verbis: *Si quis suadente diabolo huius sacrilegij vitium, vel crimen incurrit, quod in clericum, vel monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum presumat absolueri, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui presentetur, & eius suscipiat mandatum.*

2 QVÆST. Quid intelligitur per manus iniectioem?  
 RESP. Per manus iniectioem intelligitur quicumque effectus violentus in personam, vel in adhaerentia personæ, ut notat Sylu. *excommunic. 6. §. 1.* ut si quis aquam projiciat, vel pulverem, & salivam per modum iniuriæ, iuxta Gloss. *can si quis.* Imo sentio violentiam esse, sine ulla læsione, manuum iniectioem. Ut habetur *cap. Nuper de sentent. excommun.* Imo ereptio alicuius rete manibus percussim. Item admonitio manus ad frenum equi. Item abscissio ephippij. Item persecutio talis, ut cogat clericum precipitare se in flumen, vel aliud subire discrimen aut evitandum damnum. Ita Navar. *in sum. cap. 27. numer. 77. per text. cap. Nuper. §. Not igitur de sentent. excomm.* Non est tamen violentia manus iniectio, ea persecutio, ob quam clericus cadit, & læditur ad lapidem. Ita Sylu. *sexcomm. 6. num. 5. vers. 7.* Incidit in hanc excommunicationem clericus, qui in seipsum violentas manus iniicit. Et qui clericum sponte se verberibus subicientem percutit non iocose. Ita text. communiter. & Abbas *in cap. Contingit. 1. num. 5. de sentent. excomm.* Quia privilegium clericale, datum est in favorem ordinis clericalis *capit. 1. de monialibus. de sentent. excomm.* Abbas *in cap. Contingit. cit.* Hęc manuum iniectio debet esse violēta, hoc est, prævisa, & voluntaria, non casualis, licet ob negligentiam mortalis, non inducit hanc excommunicationem. Quia non est iniuriōsa. Debet esse suadente diabolo, hoc est, per peccatum mortale commissum.

3 QVÆST. Quis intelligitur per clericum? RESP. Per clericum intelligitur etiam primæ tonsuræ. *cap. Cum contingit de stat. & qualit.* Licet sit excommunicatus, interdictus, suspensus, irregularis, degradatus solum verbaliter & non realiter. Ita Doctores communiter. *ca. Ex parte. Extravag. de Clericis coniug.* Gaudent hoc privilegio etiam clerici coniugati, si tonsuram, & habitum ferant, & cum virgine contraxerint, *capit. 1. de cler. coniug. in 6.* & præterea alicui Ecclesiæ ex Episcopi mandato deseruiat. Eoque privilegio possunt gaudere, si habitum, & tonsuram, quam reliquerunt, iterum assumant, amove fraude, quia per dimissionem habitus Privilegium non amittit.

amiserunt. Ita Anch. capit. unico. de cler. coniug. cum alijs, quos citat.

4 QVAEST. Quis intelligitur per monachum? RESP. Per monachum intelligitur regularis professus, vel conuersus, cap. Non dubium de sentent. excommunic. monacha & conuersa, cap. de monialib. de sentent. excommuni. Imo nouitius, & nouitia. capit. Religioso. de sentent. excommunic. in 6. similiter, & fratres tertij Ordinis Dominici, & sancti Francisci, qui gregatim viuunt, & habitum religiosum gestant, secundum Rotam in antiq. decis. 332. in fine. Felinus cap. 2. num. 10. de foro compet. Idem dicendum de Eremitis subiectis alicui regulæ vel superiori, iuxta Sylua. verb. Eremita. num. 2. Idem de militibus sancti Ioannis Ierosolymitani, qui profitentur regulam sancti Augustini. Ita Sylu. proximo loco. Ipsi enim emittunt tria vota per cap. Cum ad ministerium de statu regu. Et dicuntur personæ religiosa, ac promittunt obedientiam superiori, vt dicit Puteolus decis. 363. lib. 1.

5 QVAEST. Incurriturne hæc excommunicatio percutiendo clericum, aut monachum mortuum? RESP. Clericus aut monachus intelligitur tam viuus, quam mortuus. Ita Felin. in capit. A nobis 2. numer. de sentent. excommuni. itaque iniiciens manus violentas in clericum, vel monachum mortuum, incurrit excommunicationem Papæ reseruatam.

6 QVAEST. Ad quos extenditur huiusmodi excommunicatio? RESP. Extenditur in primis hæc excommunicatio ad mandantes. ca. Mulieres. de sentent. excomm. Deinde ad eos, qui per ratihabitionem approbant hanc manuum iniectioem suo nomine factam, factam, in quam, eo tempore, quo ipse ratificans posset eam facere, vt notat Tolerus libr. 1. capit. 23. cum alijs, quos refert. Tertio ad consentientes tali iniectioem cap. Quanta. dando inquam, auxilium, vel fauorem, vt notat Gloss. capit. Quanta. Quarto, ad eos, qui cum possent impedire, malitiose nõ impediunt, licet ad eam impediendam ex officio non teneantur. Ita Hostiens. dist. capit. Quanta ibi Abb. numer. 7. & Boic. num. 6. Secus vero si non impediuit quis, ex negligentia, vel qua noluit se immiscere rumoribus sæ-

cularibus. ita cum Host. Abb. Boic. tenet Syl. *excom. 6. m. 5. versu 5.*

7 QVÆST. *Quotuplex est læsio?* R E S P. Triplex: Enormis, leuis, & mediocris. *Enormis* est, in qua proceditur vsque ad membri mutilationem, vel effusionem sanguinis, vel contra Episcopum, aut Abbatem. *ita cap. Cum illorum, qui si claustrales, in fine. de sentent. excomm.* effusio sanguinis debet esse in copia, non ex naribus vnde facile effluit. *Leuis* est, quæ fit pugno, palma, manu, pede, ligno, lapide, non facientibus vulnus. *Extrauag. perle. 7.* cuius meminit Hostiensis, *cap. Peruenit. de sentent. excomm.* semper tamen fit cum peccato mortali. Ad iudicandum vero inter leuem, & enormem, consideranda sunt, personæ qualitas, circumstantia loci, &c. *Mediocris* est, inter leuem, & enormem, nec de hac potest esse certa regula, iudicium tamen pertinet ad Episcopum, vt dicit Host. *ca. Peruenit. citato.*

Qui possunt absoluere ab excommunicatione Canonis. §. 21.

**A**B excommunicatione contracta ob leuem læsionem, potest Episcopus absoluere, tam clericos, quàm laicos, *cap. Peruenit. de sentent. excommun. & ibi Gloss. & Panorm.* Ab excommunicatione contracta ob læsionem mediocrem, potest Episcopus absoluere clericos collegialiter viuentes: Cum alter alterum percutit. *ita ca. Quoniam, de vit. & honest. cler.* Non potest Episcopus absoluere, nec clericos, nec laicos ab excommunicatione contracta, ob enormem læsionem. Ita communiter Doctor. Monachi, & religiosi ob leuem, aut mediocrem læsionem excommunicati, possunt absolui à suo superiori. *ita cap. Cum illorum. de sentent. excommun.* Non tamen ob enormem: ita communiter Doctor. Percussit religiosus clericum sæcularem mediocri læsione, non nisi à Papa absolui potest, percussit læsione leui, potest absolui ab Episcopo, non tamen à suo superiore. *capit. Religioso. de sentent. excommunicat. in 6.* Ostiarius Principis, aut alterius publicæ potestatis, qui ad detinendam turbam, tantummodo clericum percussit leui, aut medi-

occi

ocri læsione. absolui potest ab Episcopo, non tamen si  
 percussit enormi læsione, tunc enim à solo Papa. *capit. sè*  
*uero i. de sentent. excommunic.* Quoties datur iussum impe-  
 dimentum Papam adeundi, potest violator absolui ab  
 Episcopo cum iuramento, vt cessante impedimento, ye-  
 niat ad sedem Apostolicam. *capit. de cetero de sentent. ex-*  
*communic.* Item serui, cum illorum absentia sit in magnū  
 detrimentum domini, vel ipsi in fraudem fecerunt, vt  
 liberarentur à seruitute, absolui possunt etiam ob enor-  
 mem læsionem, nisi adeo enormis sit vt ad vitandum  
 scandalum, vt tollendum paruum exemplum mittendi  
 sint ad Papam, *cap. Relatum de sentent. excommunic.* prater-  
 mittendum tamen iuramentum de adeundo Papa, si ad  
 libertatem definirent, & ea obtenta tenentur adire, si  
 non adeant, incidunt in excommunicationem latam, *cap.*  
*eos de sentent. excommunic. lib. 6.* in damnationem contem-  
 ptus. Absolui possunt ab Episcopo, pueri minores annis  
 quatuordecim. *cap. sup. eo de sent. excommunic.* Deinde mu-  
 lieres cuiusvis ætatis, & conditionis. *cap. Mulieres de sen-*  
*tent. excommunic.* Tertio: Moniales. *capit. de monial. de sen-*  
*tent. excommunic.* Quarto: Impotentes ad iter, vt cæci, clau-  
 di, & similes. *capit. ea de sentent. excommunic.* Quinto, pau-  
 peres, qui nisi mendicando iter agere possunt. *cap. quod de*  
*his de sentent. excommunic.* nisi solitus sit emendicando vi-  
 gam alere, ne ob illius absentiam familia fame intereat.  
 Item personæ delicatæ, quæ non possunt ferre laborem  
 viæ. Nota 1. quod quando Episcopus potest absoluere,  
 potest sacerdoti committere talem absolutionem. *Gloss.*  
*capit. de cetero. de sentent. excommunic.* Nota 2. quod oc-  
 culti clerici percussores, absolui non possunt ab Episco-  
 po. *capit. Porro, de sentent. excommunic.* Oppositum tamen  
 dicendum modo ex concessione *Concil. Trident.* quod E-  
 piscopis dat potestatem absoluendi à quibuscunque ca-  
 sibus occultis, sedi Apostolicæ reseruat. Ex iure etiam  
 communi per *cap. ad eminentiam de sentent. excommu.*

omnis Legatus de latere, potest absoluere  
 quoscunque excommunicatos ob  
 manuum violentarum in-  
 iectionem.

Quæ

Quæ causæ excusent ab excommunicatione  
Canonis §. 22.

1 In quibus casibus non incurritur, hæc excommunicatio.

2 Qui possit clericos percutere ob correctionem.

3 An huiusmodi correctio fieri possit per alium.

1 **Q**UÆSTIO. In quibus casibus non incurritur huiusmodi excommunicatio, ob manuum violentarum iniuriam? **R**ESP. Primo. Quando facta est per iocum;

licet iocus peccaminose excedat modum. Ita Doctores communiter. Secundo. Cum læsio sit casu, & fortuito. *capit. Si vero. 1. de sentent. excomm.* Tertio. Quando, qui percutit vi vim repellit, cum moderamine inculpate tutelæ. Ita Doctores commu. Quarto. Quando percutit incontinentem clericum turpiter inuentum cum vxore, vel matre, sorore, vel filia: Non autem cum alijs personis remotioribus. Ita Doct. communiter. Percutit autem ob calorem iracundiæ: nam si percutit in vindictam: animo deliberato, contrahit excommunicationem. Ita Syluest. *excomm. 6. cas. 10. Cou. 4. Decret. 2. p. cap. 7. num. 12.* Quinto. Cum quis percutit clericum cum ignorantia facti, ignorans esse clericum, quia non habeat signa clericatus. Vel si habeat, non apparebant propter noctis obscuritatem. Ita *cap. si vero 2. de sentent. excomm.* Sexto. Quando mulier percutit clericum, de stupro eam tentantem, facto non verbo tantum. Ita Angel. *verb. excomm. §. 21. Nau. cap. 27. num. 85.* Septimo. Cum quis clericum cum vxore honeste loquentem domi inuentum, quem prius admonuerat, vt à tali colloquio abstineret, detinet per viginti horas ad tradendum eum suo iudici.

2 **Q**UÆST. Quis potest clericos percutere in correctionem absque excommunicationis contractione? **R**ESP. I. Qui habet curam eijciendi foras turbantes officia Ecclesiæ, cum clericos in minoribus reperit, officia diuina turbantes. II. Seniores clerici, possunt leuiter percutere iuniores zelo deuotionis. III. Prælati suos subditos. IV. Magistri suos discipulos. V. Domini clericos de sua familia. VI. Paren-

Parentes filios suos. Ita Toletan. *libr. 1. capit. 33* Aduerte custodes Ecclesiæ, & seniores clericos, solum alios clericos in minoribus posse percutere. Ita expresse habetur. *cap. Cum voluntate. de sentent. excomm.* Prælati, & Magistris licet leuiter ob correctionem percutere etiam sacerdotes. Ita Panormitan. *capit. Vniuersitatis. de sentent. excomm. Ang. excomm. 5. §. 10.* De patre circa filium sacerdotem, Doctores controuertunt. Affirmant Sylu. *excomm. 6. §. 6.* Tabien. *excomm. 5. cap. 1. num. 8.* Negant Panorm. *cap. Cum voluntate allegato. Gloss. ibidem.* Et hæc pars negans, verior visa est Toletano *proxime.* Ratio eius est: Quia facultas concessa parentibus, & propinquis concessa per *cap. volunt. cit.* æqualis per idem caput conceditur dominis, erga clericos suæ familiæ: & tamen certum est, neque propinquos, neque dominos, posse percutere clericos in maioribus; ergo neque parentes possunt tales clericos percutere. In hac rament percussione correctionis incurritur excommunicatio, cum exceditur modus correctionis ob iram, & passionem lethaliter. Ita Sylu. *excom. 6. num. 6.* Tabien. *excom. 5. cas. 1. num. 6.*

3 QVAEST. *Quæro an ij, quibus licet clericos ob correctionem percutere, possint id facere per alium?* RESP. Dico I. Episcopos posse: imo debere per alium clericum. *Can. non licet dist. 86.* Dico II. Abbati non licet per alium cadere monachum, vel conuersum, sed per se ipsum, nisi necessitas urgeat *ca. Vniuersit. de sentent. excomm.* aliter faciendo, vterque excommunicatus manet. Sylu. *excomm. 6. §. 6.* Dico III. Alijs ab Episcopis non licet clericos percutere per alios, nisi Abbatibus urgente causa, & si per alios etiam clericos percussant excommunicationem contrahunt. Ita Sylu. *excomm. 6. §. 6.* Dico IV. Episcopi, vel Abbates percutientes clericos per laicum, contrahunt excommunicationem Papalem, quam incurrit etiam ipse laicus percutiens, quauis ex iusta causa.

De mandante, & consulente percutere clericum. §. 23.

- 1 De mandante.
- 2 De consulente.

1 QVAEST.



1 **Q**VÆSTIO. Qui mandauit percutere clericum, & ante percussorem reuocauit mandatum, admonuit mandatarium mutati propositi, incurritne excommunicationem Canonis si mandatarium percutiat? **R**ESP. Minime. Ita Gloss. capit. *Mulieres de sentent. excomm.* & Doct. communiter. Quæ reuocatio mandati sufficit quidem virtualis, talis erit si fecit pacem, & redijt in amicitiam cum clerico percutiendo, sciente mandatarario: sic notant Ioann. de Ana. Innocent. & Panormitan. capit. *ad audient. de homicid.*

2 **Q**VÆST. Quid dicendum de consulente? **R**ESP. Valde controuersum est inter Doctores. Atque idem de eo, ut de mandante dicendum esse existimant Innocent. Ioan. de Anan. Panorm. *locis citat.* Sylu. *homic. 1. §. 11.* addit Innocent. debere, cum non certus sit de consiliario, an desistere velit, admonere clericum, ut caueat, saltem in generali. Alij vero arbitrantur incurritne excommunicationem, si consiliarius percutit, ex vi consilij dati, quantumuis reuocati.

De clerico se ipsum percutiente, aut patiente se ipsum percuti. §. 24.

- 1 De clerico se ipsum percutiente.
- 2 De percutiente clericum ex licentia ipsius clerici.
- 3 De clerico se ipsum offerente percussioni.

1 **Q**VÆSTIO. Inciditne in pœnam Canonis clericus, qui se ipsum percutit mortaliter? **R**ESP. Maxime. Ita Archid. *Can. si non liceat. 23. quest. 5.* Panorm. Felyn. Ioan. Andr. *ca. Contingit. 1. Extra. de sent. excomm.* Sylu. *excomm. 6. §. 8.* Tabien. *excomm. 5. ca. 1. num. 32.* quia illud priuilegium factum est in fauorem ordinis.

2 **Q**VÆST. Inciditne in pœnam canonis, qui percutit clericum libere se offerentem percussioni? **R**ESP. Incidit, capi. *Contingit. 1. de sentent. excomm.* ubi Panorm. Felyn. Ioan. Andr. Gloss. cum alijs communiter.

3 **Q**VÆST. Manetne excommunicatus ipse clericus, ubi se offerens percussioni? **R**ESP. Negat Ioan. Andr. & Gloss. *cap. Contingit.* citati. Quod si obijcias clericum illum participare in crimine criminoso, & ideo incurritne excommu-

nicatio.

nicationem. Respondent negatiue Quia participare in crimine criminoso, est participare in crimine, propter quod quis excommunicatus est, iam contracta excommunicatione. Vnde si excommunicentur fœminæ, quæ cum coniugatis copulam habuerint illicitam, prima fœmina, quæ cum coniugato coierit, non contrahit prima vice excommunicationem. Sed aliæ à prima, & prima pro secunda vice, & reliquis.

## CAPVT X.

## De irregularitatē.

## De irregularitatis definitione. §. I.

- 1 Definitur irregularitas.
- 2 Quotuplex est irregularitas.
- 3 Discrimen inter irregul. ex defectu, & delicto.
- 4 Quotuplex est irregularitas ex defectu.
- 5 An quodlibet crimen, & quibus defectus inducat irregularitatem.

1 **Q**VÆSTIO. Quid est irregularitas? R E S P. Est canonica inhabilitas ad ordines suscipiendos, aut ad susceptos exercendos, à solo iure proueniens. Dixi (canonica) quia sunt aliæ inhabilitates à iure ipso diuino ad ordines suscipiendos: qualis est inhabilitas fœminarum, & non baptizatorum: licet enim illis conferatur ordo, non fit sacramentum, nec imprimitur character; & ideo hæ inhabilitates appellantur incapacitates, non vero irregularitates. Dixi (à iure proueniens) quia nunquam imponitur ab homine, vt aliæ censuræ imponuntur, suspensionis scilicet, & interdicti, &c.

2 **Q**VÆST. Quotuplex est irregularitas? R E S P. Duplex, Vna prouenit ex defectu. Altera ex delicto. Ita Panorm. cap. Nisi cum pridem. de renunc. ibi Host. Innoc. & Speculator. lib. 1. tit. de dispens.

3 **Q**VÆST.

3 QVÆST. Quod est discrimen inter irregularitatem ex defectu, & ex delicto? RESP. Magnum sane. Nam irregularitas ex defectu, ablato defectu sæpe tollitur. Quæ vero est ex delicto, manet semper, donec dispenseretur in ea. Ita Præposit. *Can. Miror. d. 50.* Deinde, irregularitas ex delicto impedit, & suscipere ordines, & in eis ministrare; at vero irregularitas ex defectu solum prohibet ministrare in ijs, circa quæ deficit. Tertio. Quia Episcopi possunt dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, præterquam in ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, non tamen in irregularitatibus ex defectu. Ita Concil. Trid. *sessi. 14. ca. 6.*

4 QVÆST. Quotuplex est irregularitas ex defectu? RESP. Octuplex. Nimirum ex defectu natalium: originis, liberationis, ætatis, honestæ famæ, corporis, animæ, sacramenti. Ita Præposit. *Can. 1. d. 50.*

5 QVÆST. Inducitne irregularitatem quodlibet crimen, & quilibet defectus? RESP. Minime. Nisi sit in iure expressum, ita cautum habetur *ca. Is qui de sent. excomm. 1. & ibi omnes Doctores.*

An in dubio iudicandus sit aliquis irregularis. §. 7.

1 QVÆSTIO. In dubio estne quis iudicandus irregularis? RESP. Aut est dubium iuris, aut est dubium facti, in dubio iuris, nemo iudicandus est irregularis. Ita Nauar. *capit. Si quis autem. de pæn. d. 7. numer. 5.* Couar. *tract. de homicid. & hanc esse decisionem. capit. qui de sent. excomm. in 6. vbi affirmat Card. Tolet. lib. cap. 51.* In dubio facti, quando nimirum irregularitas est in iure expressa, sed dubitatur de facto, an sit tale, quod inducat irregularitatem, quæ in iure expressa est, in quouis foro est quisquam iudicandus, & habendus irregularis. ita *cap. ad audientiam. de homic. vbi apponitur hoc exemplum. Vulnerauit presbyter quendam de familia sua, qui conualescens à vulnere, grauiore superueniente infirmitate mortuus est, hic erat dubium de facto, an ex illo vulnere orta fuerit infirmitas, nec ne: si enim certum esset factum, nempe ortam fuisse mortem ex vulnere, de iure*

iure certa erat irregularitas: simile apponitur cap. Significasti. 2. de homic. Ita Nauar. Cou. & iuniores Doctores. Optima tamen hac in re distinctione vsus est Card. Tolet. proxime allegato. Nimirum etiam in dubio facti, cum irregularitas non inducit periculum animæ, & peccati, si non seruetur, sed solam inhabilitatem ad retinenda beneficia, vel officia, quæ quidem retineri possunt sine peccato, tunc quidem neminem iudicandum, nec reputandum in utroque foro, vt irregularis: est enim contra naturalem æquitatem certam apponere pœnam, vbi incertum est delictum. Secus vero dicendum merito arbitratur, cum dubium facti inducit irregularitatem, quæ si non obseruetur, datur periculum peccandi, vt sacramenta conficiendi cum peccato, &c. quia dubitatur an dignus accedat, & ita conciliat Antiquorum placita admodum discrepantia inter se.

De irregularitate ex defectu natalium. §. 3.

- 1 Qui sint tales.
- 2 Quis ex vero matrimonio natus, censetur illegitimus.
- 3 Quis ex non coniugatis natus, censetur legitimus in iure.
- 4 De eo, qui potest dispensare in hac irregularitate.

1 QVÆSTIO. Qui sunt irregulares ex defectu natalium? RESP. Omnes legitime nati. d. 56. Can. 1. & cap. 1. & vlt. de fili presb. siue illegitimitas sit aperta, siue occulta. capi. Nisi cum pridem. §. non tamen propter quamlibet. de renunc. vbi omnes, quibus contradixit Castro 2. libr. de leg. pœn. Remouetur autem illegitimus, tum propter dignitatem ordinis, tum propter detestationem criminis paterni, tum propter periculum incontinentiæ ex imitatione paterna.

2 QVÆST. Quis ex vero matrimonio natus, censetur illegitimus in iure? RESP. Qui natus est ex coniugibus postquam eorum vnus factus est presbyter, alter vouit continentiam.

Medull. Casuum.

Bb

mentiam,

mentiam, qui quidem carnaliter se miscendo, sacrilegium committunt.

3 QVAEST. *Quis ex non coniugatis natus, censetur legitimus in iure?* RESP. Qui natus ex soluto, & soluta, cum ipsi postea matrimonium contraxerunt. *ca. Tanta, qui filij sunt legitimi.* vbi Panorm. numer. 7. & Gloss. Item Gloss. *capit. Innotuit. de elect.* Deinde: Qui natus ex coniugibus, tantum externè putatis coniugibus: licet postea ob litem notam per iudicis sententiam iudicentur, quod in facie Ecclesiae contraxerunt, non coniuges, & tales separentur, *capit. Cum inter qui filij sint legitimi.* vbi Panorm. aduertit etiam esse censendos legitimos filios, qui nati sunt post litem contestatam, sed non iudicatam, dummodo sit bona fides in utroque coniuge, & saltem in vno, vt habetur *capit. Ex tenore, qui filij sint legitimi.* Qui quidem omnes habiles sunt ad quoslibet ordines, etiam ad Episcopatum, vt docet Panorm. *proximum. numer. 7.*

4 QVAEST. *Quis potest dispensare in hac irregularitate?* RESP. Episcopus ad minores, & vnum simplex beneficium *capit. 1. de filiis presbyter in 6.* Ad maiores vero, & beneficium curatum solus Papa *capit. 1. de filiis presbyter in 1.* atque etiam ad dignitates, & personatus. *capit. nunc de filiis presbyter.* Professio etiam in religione facit habitum ad sacros ordines, non tamen ad praelationes, *capit. 1. de filiis presbyter.*

#### De irregularitate ex defectu originis. §. 4.

- 1 *Ex quo defectu oritur hac irregularitas.*
- 2 *Quis potest dispensare in hac irregularitate.*
- 3 *Qui serui manent liberi. si ordinentur.*
- 4 *De Episcopo ordinante seruum, & de alijs ad eandem ordinationem concurrentibus.*

1 QVAESTIO. *Ex quo defectu prouenit hac irregularitas?* RESP. Ex seruitute: sunt itaque irregulares *incipia. d. 54. per totam, & Extrauag. de ser. non ordina.* Seruus vero intelligitur natus ex serua. nam si natus est ex libera, non est seruus. *capit. Dilectus, de seru. manent.*

dia. Præterea: Ante libertatem, & manumissionem; nam post eam ordinari potest. *Can. nulli, distinct. 54. ca. 1. de ser. non ordin.*

2 QVÆST. *Quis potest dispensare in hac irregularitate?*  
RESP. Solus Papa.

3 QVÆST. *Qui serui manent liberi, si ordinantur?* RESP. Omnes, qui quavis via ordinantur. *ca. Qui venerab. qui fil. sint legit. siue dominus consentiât, siue repugnet.* Ita Hugo citatus à Glossis, & Turrec. *Can. frequens d. 54.*

4 QVÆST. *Qua pœna afficitur Episcopus ordinans, & præsentator, & testes, seruum offerentes ordinandum?* RESP. Si Episcopus, præsentator, & testes nouerant seruitutem, & contradictionem domini, restituent duplum. duos scilicet seruos aut duorum pretium. *Can. si seruus. i. d. 54.* quod duplum restituet ex tribus ille, vel illi, qui seruitutis conscij ad ordines concurrerunt. Si vero seruus Episcopum fefellit, præsentatorem, & testes: solus seruus tenetur reddere domino suum peculium; quod si non habeat, tenetur seruire domino in diuinis & spiritualibus officijs, aut honestis conuenientibus sacerdoti. *Canon frequens d. 54.* quod si in hoc contumax fuerit, degradabitur, & seruiet domino secundum D. Anton. 3. p. tit. 28. capit. 6. §. 6. cum Innocent Raim. & Gloss. quos refert.

#### De irregularitate ex defectu ætatis. §. 5.

- 1 *Qui sunt tales irregulares.*
- 2 *Qua pœna punitur talis ordinatus.*
- 3 *Quis potest in hac irregularitate dispensare.*
- 4 *De pœna Episcopi talem irregularem ordinantis.*

Postulabat ordo adnumerata multitudinis irregularitatum, ut post irregularitatem ex defectu originis, reinterrogarem de irregularitate ex defectu liberationis: sed quia hæc parum est in usu, illam libens omitto: præcipue, quia scio te meminisse de ea satis agere Cardin. Tolet. *lib. 1. cap. 54.* Dic igitur.

1 QVÆSTIO. *Qui sint irregulares ex defectu ætatis?*  
RESP. Ad primam tonsuram, minores septennio *ca.*

Bb 2

Nullus.

Nullus. de temp. ordinan. lib. 6. Ad acolytatum, minores anno completo. *Can. in singulis dist. 77.* Ad subdiaconatū, minores, vigesimo secundo. Ad diaconatum, minores vigesimo tertio. Ad presbyteratum, minores vigesimo quinto inceptis. *Ira Conc. Trident. sess. 23 cap. 12.* Ad Episcopatum vero minores trigesimo anno completo. *ca. Cum iniunctis de elect. in 6.*

2 QVÆST. Qui ante hanc legitimam aetatem ordinatur, qua poena punitur? RESP. Suspensionis, vsque ad legitimam aetatem, qua superueniente, non cessat suspensio per nouum ius. *Extrauag. Pij II. quæ omnes, quæ sacrum ordinem ante legitimam aetatem præsumunt accipere, ipso iure suspendit, ita vt si illum exerceant, fiant irregulares, nec possunt etiam superueniente aetate exercere illum, ante absolutionem à suspensione. Quæ extrauagans, comprehendit solos præsumentes, non autem ignorantes aetatis defectum, vt rectè aduertit Cardin. Tolet. lib. 1. cap. 58.*

3 QVÆST. Quis dispensat in hac irregularitate? RESP. Solus Papa. *cap. Nullus. de temp. ordin. in 9. Gloss. Clem. generalem. de aetate & qualitate.*

4 QVÆST. Qua poena punitur Episcopus, qui sacrum confert ordinem ante legitimam aetatem? RESP. Suspensionis. *cap. Vt non est compositio de temp. ord. vbi Butreus notat, non esse ipso iure suspensum, sed suspendendum, quem sequitur Toletus proxime.*

#### De Irregularitate ex defectu bonæ famæ. §. 6.

1 Qui sunt tales irregulares.

2 Quotuplex est infamia,

3 Quis dispensat in hac irregularitate.

1 QVÆSTIO. Qui sunt hac irregularitate innotescunt? RESP. Infames. *d. 33. Can. laici, & d. 51. Can. qui in aliquo. & 6. qua 1. Can. infames.*

2 QVÆST. Quotuplex est infamia? RESP. Duplex, alia iuris, alia facti. *Ita Gloss. 5. quaest. 7. Can. infames. §. porro. & 2. quaest. 7. Can. ipsi Apostoli. & Doctores communiter.* Ju-  
ris

ris vero, aut est legalis, aut est canonica, hæc est aut per leges posita, aut per sacros Canones stabilita. Infamia facti oritur ex aliquo delicto graui, & notorio, propter quod delinquens, apud graues, & bonos viros malè audiuit, eiusque mala opinio concepra est.

3 **QVAEST.** *Quis potest in hac irregularitate dispensare?*  
**RESP.** Papa potest omnem infamiam iuris, etiam ciuili tollere à quocunque clerico, & etiam à laico, sibi subiecto, atque etiam non subiecto, si illius ministerio indiget. Ita Innocent. Panorm. Hostiens. *cap. Cum te de senten. & re iud. Gemina. & Præposit. quest. 3. Can. Euphemium. Tolet. proxime.*

## De irregularitate ex defectu corporis. §. 7.

1 *Ex quo defectu oritur hac irregularitas.*

2 *Quis est iudex huius defectus.*

3 *Quis dispensat in hac irregularitate.*

4 *An sublato defectu, tollatur hæc irregularitas.*

5 *De Hermaphrodito.*

6 *An liceat sextum digitum amputare.*

1 **QVAESTIO.** *Quis defectus corporis inducit hanc irregularitatem?* **RESP.** Sit hac in re *Prima* regula. Inducit hanc irregularitatem omnis defectus siue in membro, siue in membri parte, qui infert inhabilitatem, nempe qui impedit ministerium ordinis, aut inducit notabilem deformitatem, aut generat scandalum, & abominationem. Ita Anton. Burr. *cap. ultim. de corpor. vitiatis. deducitur ex cap. Nonnullis de clerico agrot. & ex tit. de corpor. vitiatis. & canonibus alijs, dict. 55.* Facit autem hic defectus irregularem ad illum ordinem, vel ad aliud ordinis exercitium, quod propter illum defectum fieri nequit. *Secunda* regula. Quando huiusmodi vitia sunt occulta, quia scilicet ex ijs non oritur deformitas, neque scandalum, nec debilitas ex ijs, nulla inducitur irregularitas. Vnde qui in pedibus careret pollice, aut digitos haberet deformes, non esset irregularis, neque etiam ille, cui virilia desunt, siue quia in cunabulis lectus est, *cap. tertio de corpor. vitiatis. siue quia ob infirmitatem à medicis illi ab-*



scissa sunt *cap. quinto, eodem titul & Can. si quis per aegritud.*  
*d. 55.* Etiam si ipsemet sibi per aegritudinem absciderit, ut  
 dicit Innocent. *cap. Significauit. de corp. vitiat.* siue qua  
 sic natus est, vel in persecurione caesa ei sunt. *Can. Eunuchus*  
*d. 55.* Nec opus est virilia in puluerem redacta le-  
 cum portare, ut imperitum vulgus arbitratur, sicut no-  
 rat Gl. *Can. Eunuch. d. 55.* Et Ancharan. *cap. 3. de corp.*  
*vitiat.* & Ioan. Andr. cum alijs Regula tertia, Abscisio  
 membri, quæ ex culpa propria est, inducit irregularita-  
 tem, etiam in eo casu, quando defectus solus, si ex culpa  
 non esset, non inferret irregularitatem. Unde qui sibi vi-  
 rilia amputauit, aut se castrauit etiam zelo castitatis, et-  
 tiam si occulte fecerit, irregularis est, *Can. si quis abscidit*  
*d. 55 & cap. significauit de corp. vit.* Similiter, qui par-  
 tem digiti sibi ex ira, & indignatione amputauit, est irro-  
 gularis, *d. 55. Can. qui partem,* etiam si sit talis dignus  
 cuius defectus, nisi culpa esset, non faceret irregularem.  
 Partem autem minorem dimidio intelligendam affirmat  
 Toletus *lib. 6. cap. 58.* membrum vero etiam occultum, ut  
 digitum pedis. Dubitari tamen solet, an ad inducendam  
 huiusmodi irregularitatem necesse sit, ut abscisio ex cul-  
 pa sit publica. Negatiue responderi Anton. cum Host. *cap.*  
*3. de corp.* aiuntque incurri hanc irregularitatem solum,  
 cum notorium est hominem se ipsum scidisse, & hanc  
 opinionem sequitur Anchar. *cap. 1. de corpor. vitiat.* &  
 Gontal. *cap. 2. eodem titul.* Oppositum arbitratur verum  
 Cardin. Tolet. eamque æquiparat abscissioni, & occulsi-  
 oni occulta alterius tertij, quæ licet occulta facit abscin-  
 dentem irregularem, & ita appellatur talis homicida sui.  
*Can. si quis abscidit d. 55.* Itaque mutilator sui ex ira, &  
 passione, irregularis est.

2 QVÆST. Quis iudicaturus est de istiusmodi inhabili-  
 tate, & deformitate, irregularitatem inducente? RESP. E-  
 piscopus. Ita Innocent. *cap. 1. de corp. vit.* deduciturque et  
*cap. 2. eiusdem tituli.*

3 QVÆST. Quis dispensat in hac irregularitate? RESP.  
 Solum Papa. Ita Innocent. *cap. 1. de corpor. vitiat. ca. Cum +*  
*1. vnit. de re iudic. in 6.* Anchar. *cap. Signif. de corp. vitiat.*  
 & Præposi. *Can. non confidat. dist. 50. & ibidem. Archidiac.*

4 QVÆST. Sublatone huiusmodi defectu, & deformitate,  
 tollitur

eglitur irregularitas absque alia dispensatione? **R**ESP. Tollitur. Ita Præposit. *Can. ex præmissis. d. 50. n. 9.*

5. **Q**VAEST. Quid censes de Hermaphrodito? **R**ESP. Si in eo plus viget sexus foemineus, ordinari non potest. Ita Gloss. *Can. si testes §. Hermaphr. 4. q. 3.* quia ut sic non recipit characterem, quemadmodum foemina, secundum D. Anton. 3. p. titul. 28. cap. 6. §. 5 Syluest. & Tabiena. Si vero in eo æque viget uterque sexus, quantum ad ordines pro foemina reputari debet. Ita Præpos. *Can. si testes. 3. q. 4. §. eodem* cum Hugone. & Card. quos citat. Idem tenet Turrecr. Si vero in eo magis viget sexus virilis, licet characteris capax sit, tamen irregularis est, propter deformitatem monstruositatis, quæ licet sensibus non pateat, tamen cogitationi semper occurrit. Ita Anton. & Syluest. citati, deducuntque ex *Can. illiteratos. d. 36. & can. ult. d. 49.* Et ideo propter populi scandalum ordinandus non est, ut ait Archidiacon. 17. *quæst. 1. can. Diaconissam.*

6. **Q**VAEST. Licetne absque irregularitatis nota; sextum digitum amputare ad vitandam deformitatem? **R**ESP. Licet. Ita German. & Præpos. *can. qui partem. d. 55. Innocent. cap. Signif. de corpor. vit.* quemadmodum licet alia superflua, ut callum, verrucam, & similes tumores amputare, & digitum extrahere, quia sextus digitus non est membrum, nec pars membri, ut manifestum est, sed superfluitas naturæ.

### De irregularitate ex defectu animæ. §. 8.

- 1 Qui sunt tales irregulares.
- 2 De temporis interuallo ad probationem sanisatis de morbo caduco.
- 3 De filijs conuersorum recenter ad fidem à Paganismo, & Iudaismo.
- 4 Quid in iure appellatur longum tempus.
- 5 Quis potest dispensare in hac irregularitate.

1. **Q**VAESTIO. Qui sunt irregulares ex defectu animæ?  
**R**ESP. Demoniaci, insani, lunatici, morbo caduco affecti. Ita Gelasius, d. 33. *C. v. usquequo.* & ibi Glo. quanquã

B b 4 D. Ant.

D. Anton. 3. p. tit. 28. cap. 5. & Nauar. capit. 27. num. 203. appellat hos irregulares ex defectu corporis. Atque in primis dæmoniacy, siue vt appellant, enegument, seu arreptitij, si non sunt promoti nunquam iunt promouendi licet semel tantum vexati, ad pristinam redierint libertatem. *can. maritum can. clerici. d. 33.* & Gloss. *can. communiter.* eadem distinctione affirmat hoc esse sine contradictione. Si vero iam erant promoti ad minores cum vexati sunt, etiam sani, & omnino liberati, ad maiores nunquam ascendent. *Can. clerici. d. 33.* & *ibi* Gloss. Si vero iam erant promoti ad maiores cum arrepti sunt, & postea liberi apparent, expectandum tempus ad probandam perfectam liberationem, qua obtenta, & probata possunt ministrare altari *Can. communiter. d. 33.* & *ibi* Gloss. Hugo Geminian. & Præposit. & Archid. Probatio autem fit per annum, & ab Episcopo. ita Tolet. *lib. 1. cap. 58.* Infanti lunatici, morbo caduco laborantes, quos appellant epilepticos, si promoti non sunt, nunquam sunt promouendi *can. maritum d. 33.* & est communis sententia. Si iam promoti sunt, & adhuc laborant morbo, non permittuntur ministrare. *capit. V. quequo d. 33.* si vero iam sunt omnino sani, probantur post vnum annum ab ultimo malo, & permittuntur ministrare in susceptis. 13. *questio. 1. Can. quis. §. sicut ergo.* Si vero non est omnino liberatus a morbo caduco, & frequenter illo laborat, non permittitur ministrare 7. *quest. 2. can. in tuus.* Si autem raro illa agitudine laborat, sed cum corripitur, cadit cum vocis amissione, & spumæ iactatione, non est permittendus ministrare. 7. *quest. 1. can. illud.* & Gloss. *Can. communiter. d. 33.* & est communis sententia. Secus vero dicendum, si raro laborat, & cum cadit, cadit blande, tunc enim permittendus est ministrare 7. *quest. 1. Can. illud.* Idem dicendum de lunatico, & amente, si cum cadit raro, non facit turpes corporis motus.

2. **QVAEST.** Dixisti, ad probationem sanitatis supra dicta requiri tempus vnius anni. videtur id contradicere canon. Nuper 7. *questio. 2.* ubi sola triginta dierum probatio exigitur.  
**RES P.** Canonem citatum procedere de eo, qui negabat talem morbum fuisse vnquam passum: & tunc ad probationem facti, sola illa probatio exigebatur. Nos vero locuti

auti sumus de eo, qui sine dubio morbum passus est. Ita  
 Gloss. *Can. nuper. cit.* & Toletus *lib. 1. capit. 50.* vbi Docto-  
 rum placita ad placidam componit pacem. Sunt præte-  
 rea irregulares ex defectu animæ neophiti, id est, noui-  
 ter ad fidem conuersi. *dist. 48. can. 1. & 2. & Canon. qui in*  
*aliquo. d. 51.* irregulares, inquam, ad maiores ordines, non  
 ad minores. Ita Geminian. *can. prohibentur.* Archidiacon.  
 Præposit. & Turrecrem. *can. quoniam d. 48.* & colligitur  
 ex *Canon. quicumque dist. 77.* Nec item sunt irregulares  
 ad maiores, longo post tempore probata fide eorum, &  
 erga Ecclesiam amore.

3 *QVÆST.* Suntne reputandi pro neophitis filij conuersorum  
 ad fidem, baptizati in infantia? *R E S P.* Minime. Ita Turrec.  
*Can. prohibentur. distinctio. 48.*

4 *QVÆST.* Quod spatium appellabitur longum tempus?  
*R E S P.* Decem annorum. Sunt præterea irregulares ex  
 defectu animæ illiterati. *d. 36. & d. 51. Can. qui in aliquo. &*  
*d. 55. can. penitentes.*

5 *QVÆST.* Quis potest dispensare in hac irregularitate?  
*R E S P.* Cum neophitis nouiter conuersis solus Papa.  
 Ita Tolet. *lib. 1. capit. 59.* Cum illiteratis, qui nec legere sci-  
 unt, nec ad primam tonsuram, Episcopus. *capit. Nullus. de*  
*temporib. ordin. in 6.* notantque Geminian. Præposit. & Ar-  
 chidiac. *Can. non confidat d. 50.* nunc iam res est certa ex  
 Conc. Trid. *sessi. 23. cap. 4.* Ad maiores vero ordines solus  
 Papa, & c.

### De irregularitate ex defectu sacra- menti. §. 9.

- 1 Qui sunt irregulares ex hoc defectu.
- 2 Quid est bigamia.
- 3 Quotuplex est bigamia.
- 4 An sit dicendus bigamus, qui virgini à se antea com-  
 pressa nupsit.
- 5 An sit bigamus, qui inter accusandum adulteram  
 uxorem eam cognouit.

B b 5

6 An

- 6 An sit bigamus, qui cognouit adulteram ignorans adulterium.
- 7 An sit bigamus, qui cognouit adulteram à se talem certo cognitam ex occasione coacta habitationis.
- 8 An sit bigamus, qui bis contraxit, inualide tamen cum secunda.
- 9 An sit bigamus, qui inualide contraxit cum corrupta. & consummauit.
- 10 Occurritur difficili argumento contra nouam propositionem.
- 11 Qui dispensat in hac irregularitate.

¶ **Q**VAESTIO. Qui sunt irregulares ex hoc defectu? R. 117. Sunt bigami. ca. debitum de bigamia.

2 **Q**VAEST. Quid est bigamia? R. E. S. P. Est Triplex. Vera, interpretatiua, & similitudinaria. Vera est, cum re ipsa interueniunt multæ nuptiæ. Interpretatiua est, cum qui contraxit cum vidua, aut corrupta, aut cognouit uxorem, quæ post matrimonium commisit adulterium. Similitudinaria est, cum quis post votum sollemne castitatis contraxit cum aliqua. *Can. quotquot. 17. quest. 1.* Vel cum quis uiuente adhuc propria uxore contrahit cum alia. *cap. nuper. de bigam.* Vtraque bigamia facit irregularem. Est itaque bigamus, & irregularis, qui plures successiue duxit uxores legitimas. *Can. qui sine crimine. d. 26. siue vnam ante baptismum, alteram post. Canon. acutius. d. 26. siue vtramque ante baptismum. Canon. vna. d. 33.* Ad hanc speciem bigamiæ contrahendam requiritur, vt cum vtraque habita sit copula carnalis. Ita Doctores ex *cap. Debitum de bigamis.* Est bigamus, & irregularis, qui contraxit cum vidua iam à primo marito cognita, & eam cognouit carnaliter. *Can. curandum est. d. 34. & capit. 1. de bigam.* quanquam viduam duxerit, & cognouerit ante baptismum. *Can. si quis viduam. dist. 34.* Est bigamus, & irregularis, qui duxit & cognouit corruptam ab alio. *Can. qui in aliquo. d. 51. & Can. curandum est d. 34.*

Hæc

Hæc irregularitas contrahitur, licet maritus ignorauerit uxorem iam esse ab alio cognitam. Ita notat Panorm. capit. super eo de bigam. numer. 7. & Gloss. Can. nemo. d. 32. & est communis sententia. Est præterea bigamus, & irregularis, qui cognouit uxorem, post uxoris adulterium. Can. si cuius. Can. si laici d. 34.

4 QVÆST. Estne bigamus, qui corripuit virginem, & postea cum ea contraxit? RESP. Minime. Ita communis sententia, Hostiens. in sum. tit. de bigam. §. circa quest. 6. & capit. sane. 1. de cler. coniug. Archid. d. 32. Can. nemo. Panorm. cap. Debitum num. 2. de bigam. Gloss. cap. sane. de cler. coniug. Gofred. de bigam. num. 5. D. Thom. in 4. d. 27. quest. 3. art. 1. quest. 3. art. 2. & alij.

5 QVÆST. De eo, qui cognouit uxorem adulteram, tria te rogo. I. Estne bigamus, qui inter accusandum uxorem de adulterio, eam cognouit carnaliter? RESP. Maxime. Ita Gloss. Can. si cuius. dist. 34. & ibi Turrec, & Gofred. de bigam. num. 9.

6 QVÆST. Rogo II. Estne bigamus, qui adulteram cognouit ignorans adulterium? RESP. Maxime. Ita communior Doctorum pars, cum Panorm. cap. Super eo. de bigam. quam sequitur Tolet. lib. 1. cap. 16. vbi discrepantes refert opiniones.

7 QVÆST. Rogo III. Estne bigamus, qui coactus ab Ecclesia habitare cum uxore, quam ille solus maritus scit fuisse adulteratam, eam cognouit. RESP. Communis opinio responderet affirmatiue. Ita de irregularitate late Card. Tolet. lib. 1. ca. 60.

8 QVÆST. Quid censes afferendum, cum quis valide contraxit cum Berta, & ea mortua contraxit cum Theodora inuualide, dicendusne bigamus, & ideo irregularis? RESP. Archidiaconus Can. cognoscamus. 34. d. negat, cum quis secundum matrimonium nullum contraxit, & consummauit (nam siue copula nulla bigamia contrahitur, vt notat Toletus proxime) ignoranter. Affirmat tamen Hostiensis in sum. de bigam. numer. 3. & Panorm. capit. Nuper. de bigam. deducuntque ex capit. Nuper. allegato, deducta paritate rationis in hoc, atque in casibus textus. Eos sequitur Toletus lib. 1. capit. 61. Ita que qui bis contraxit, & consummauit, siue vnum matrimonium fuerit validum, alterum

alterum

alterum inualidum, siue vtrumque inualidum, bigamus est. Ita communis Doctorum sententia. Innocent. capit. Nuper de bigam. Hostiens. in sum. de bigam. num. 1. D. Anton. 3 p. tit. 28. capit. cum pluribus, quos referunt loca citatis.

9 QVÆST. Estne bigamus, qui nulliter contraxit cum vidua, aut corrupta, & consummatit matrimonium? RESP. Negat Nau. in sum. capit. 27. Affirmant tamen Hostiens. in sum. de bigam. num. 3. §. quot sunt species. & capi. 1. de bigam. Gotfred. in sum. de bigam. numer. 10. eos sequitur Tolerus proxime, affirmans esse communem opinionem, Quia generaliter vbi matrimonium de iure celebratum induceret irregularitatem, etiam de facto eandem infert, & ita Rota decision. 1. de bigam. alias. 457. definiuit de clericis in minoribus, qui nulliter contraxerat cum vidua.

10 QVÆST. Verum obiectio occurrit non contemnenda. Nam superius diximus nullam esse irregularitatem inducendam, qua non sit expressa in iure: hæc vero irregularitates proxima non sunt expressa. in cap. Nuper ex cuius textu eruuntur. Nam sola sit mentio duorum casuum. Nempe quando est nullum secundum matrimonium, quia vivebat prior uxor; aut quando celebratum fuit ab eo, qui habebat ordinem sacrum post mortem prioris coniugis? RESP. Respondet Cardin. Toler. lib. 1. cap. 61. §. tertium dubium. expressum dici in iure id, quod continetur sub expressa ratione legis, & ita accidit in nostro casu.

11 QVÆST. Quis potest dispensare in hac bigamia ex defectu? RESP. Dico primo. Papa dispensare potest cum quocunque bigamo ad omnes ordines maiores & minores, & ad quascunque dignitates. Ita D. Thom. 4. senten. d. 27. quest. 7. art. 7. Archid. Can. lector. & ibidem Turree, qui omnes allegant, & probant sententiam D. Thom. dicuntque esse communem. Ratio est, quia omnis irregularitas est introducta iure positiuo, quamquam iam a tempore Apostolorum, vt constat ex D. Paulo, & notat Toler. lib. 1. capit. 62. Dico secundo. Difficile Papa dispensat cum bigamo vero; facilius autem cum bigamo interpretatiuo.

Dico tertio. Non potest Episcopus dispensare, ad maiores ordines cum bigamo, siue vero, siue interpreta-

tiuo.

tatiuo. Ita Hostiens. in *sum. de bigam. in fine.* Præpos. & Gemin. in *Can. lector. d. 54.* Panorm. *capit. Super eo de bigam. numer. 5. in fine.* & satis probatur per *cap. Super eo & capit. Nuper. de bigam.* Nec itidem potest Episcopus dispensare, vt in susceptis maioribus ministrant. *cap. Super eo citato.* Neque itidem ad maiorem, etiam primam tonsuram. Ita Panorm. *cap. Super eo de bigam. numer. 5. in fine.* Præpos. & Gemin. *Can. lector. d. 34.* Nouissime Tolet. *citato loco.* vbi assert pro se Congregationem Conc. Trid. *sessi. 23. capi. 17.* & sententiam Sixti Quinti, qui Episcopum dispensantem cum vero bigamo, qui duas successiue duxerat vxores, ad primam tonsuram, & beneficium simplex, iudicauit ipso iure suspensum ab ordinum collatione, dispensatum autem ab exercitio ordinis suspensum, & beneficij nullam fuisse collationem, nec fructus suos fecisse. Nec itidem potest Episcopus dispensare cum bigamo vero, aut interpretatiuo, vt in minoribus susceptis ministrant. Ita Doctores citati.

De irregularitate ex delicto hærelis. §. 10.

**Q**UÆSTIO. *Qui sunt irregulares ex delicto hæresis?*  
**R**ESP. Hæretici, & Apostatae, qui in hæresim exteriori lapsi sunt. *Canon. qui in aliquo d. 50.* Deinde, Hæreticorum, & Apostatarum credentes, & fautores, & defensores *cap. Statutum 2. de hæret.* Item omnium supradictorum filij, etiam si crimina parentum imitati non fuerint *cap. Statutum. 2. de hæret.* Itidem filij Iudæorum conuersorum, qui postea ad Iudaismum reuersi sūt. *cap. Contra Christianos de hæret. in 6. & ibi Glossa.* Itidem omnium supradictorum nepotes. *cap. Statutum. de hæret.* Vbi Gloss. & Rebuff. in *praxi. de modis amitt. benef. num. 26* ita explicant, quando pater est hæreticus, vel fautor, vel aliquis nominatorum, tunc filij, & filiorum filij, sunt irregulares, non autem filij filiarum: quando autem mater est hæretica, vel fautrix, vel aliqua ex prædictis, filij tantum sunt irregulares, non autem filij filiorum. Pro filijs hæreticorum, & prædictorum intelliguntur, quicumque, & quouis modo illegitimi. Ita Gloss. *cap. Statutum de hæret. & ibi Ioan. And. Hæretici vero, & alij prædicti, intelligun-*



intelliguntur ij, qui tales esse, aut tales mortui fuisse probantur. Nam si sunt emendati, & in Ecclesiam iterum, vt filij reuersi, ipsi quidem manent irregulares, sed non eorum filij. Ita *cap. Statut. allegat. Filij relapforum*, qui relapsi iam pœnitentes propter solum relapsum in morte damnati obiere, non sunt irregulares. Ita *Gloss. capit. Statutum. de hæret. qui credentes è viuis decedunt. Filij hæreticorum*, qui ante parentum crimen ordines susceperunt, non priuantur ordinum exercitio. ita *Gloss. Canon. satis peruersum. d. 56.* communiter recepta. Neque amittunt beneficia quæ ante crimen obtinuerunt. Ita & prædicta *Gloss. & Panormit. cap. Vergentis, de hæret.* est communis opinio.

De irregularitate ex delicto, circa baptismi sacramentum. §. 11.

**Q**UÆSTIO. *Qui sunt irregulares hac irregularitate?*  
**R**ESP. In primis, qui scienter bis, aut pluries baptismum suscepit. *Can. eos quos de consecr. d. 4.* nec ad primam tonsuram admittuntur. *Can. confirmandum d. 70.* Deinde rebaptizati ignoranter. *Can. qui bis de consecr. d. 4.* quæ vero ignorantia requiratur, docet *Tolet. lib. 1. cap. 64.* Quam controuersiam omitto, quia ad praxim parum prodest. Præterea. Qui bis contulit baptismum. Ita *Doctores communiter ex capi. 2. de apostatis.* Non tamen sub conditione, vel etiam cum ignorantia crassa. Quia iste non dicitur rebaptizare. Ita *Nauar. sup. & Toletus proxime citatus.* Quarto, qui baptizatus est ab hæreticis in adulta ætate. *Can. qui in qualibet. 1. quest. 7.* fecus si in ætate infantili ante usum rationis. *1. qu. 4. Can. placuit. & Can. qui apud.* Vltimo, qui per multum tempus, distulit baptismum. *Can. 1. d. 57.*

De irregularitate circa ordinum susceptionem. §. 12.

**Q**UÆSTIO. *Qui sunt irregulares ex hoc delicto?*  
**R**ESP. In primis qui excōmunicatus maiori excōmunicacione ordinem aliquem maiorem vel minorem suscipit. *ca. 1. de eo, qui fur. ord. sus. ca. cum illorū de sent. excōmunicati.* Dixi maiori excōmunicacione, quia excōmunicatus mi-

neri excommunicatione non efficitur irregularis. Neque ab hac irregularitate excusatur, cui habet ignorantiam iuris huius, vt notat Tolet. *lib. 1. cap. 65.* Deinde fit irregularis ille, qui suscipit ordines ab Episcopo, qui renunciauit Episcopatu. *capit. 1. de ordin. ab Episcop. qui renunc. Episcop.* Dixi Episcopatu, hoc est, dignitati Episcopi, quia, qui solo loco renunciauit, potest rogatus ab Episcopo suos ordines maiori, vel minori ordine. Dixi, rogatus, quod intellige ad conferendos maiores ordines: nam licet quis habeat sui Episcopi literas (appellant, reuerendas) irregularis est, si ordines suscipiat à tali Episcopo, qui loco renunciauit. Tertio. Manet irregularis, qui ab Episcopo excommunicato ordines suscipit, etiam si ignoranter acceperit, id est, ignorans Episcopum esse excommunicatum. *cap. Cum Clericis de ordin. ab Episcop. qui renunc. Episcop.* Intelligo vero id, de ignorantia crassa. *Can. ord. 9. quest. 1.* Quarto manet irregularis, qui suscipit ordines minores cum subdiaconatu vno die, *cap. 2. de eo, qui sur. ordin. susc.* & ille, qui vno die duos sacros ordines suscipit. *cap. 3. de eo, qui sur. ord. susc.*

De irregularitate contracta in ministerio ordinis. §. 13.

**Q**UÆSTIO. *Qui sit irregularis hac irregularitate?* RESP. In primis, qui exercet actum ordinis, quem non habet, actum, inquam, ordinis solemniter. Est autem actus proprius ordinis solemniter celebratus, quem laicus in ea solemnitate exercere non valet, vt cantare epistolam in missa cum manipulo, Euangelium cum stola, baptizare solemniter, audire confessiones, Missam dicere, aut alia sacramenta conferre. Ita Panorm. *cap. 1. de cler. non ord. ministr.* Ita Syluest. *verb. irreg. §. 14. D. Anton. 3. p. tit. 28. cap. 1. §. 1.* quem male in oppositum citat Nauar. *cap. 27. numer. 242.* vt aduertit Tolet. *lib. 1. cap. 66.* Consuetudo tamen obtinuit, vt actus minorum ordinum quomodolibet à laico exercentur, & ideo, qui eos exercet, non incurrit irregularitatem, sicut ille qui exercet actum iurisdictionis, quam non habet, vt Doctores aduertunt. Deinde fit irregularis, qui maiori excommunicatione innotatus, actum ordinis, quem habet, solemniter exercet,

vt si

vt si celebrat: si cum stola cantat Euangelium, & cæ. Ita Doctores communiter ad cap. 2. de cler. excommun. interd. minist. Hostien. And. Panormitan. & alij Hanc tamen irregularitatem non incurrit, qui cum ignorantia probabili ministrat; secus si cum ignorantia crassa. capit. Apo. eodem tit. Actum vero ordinis intellige etiam minoris, Ita Panormit. cap. si quis Presbyter. eodem tit. Iam tamen vlt receptum est, vt omnem actum minorum ordinum laicus exerceat, vt clericus. Idem dicendum est de suspensio maiori suspensione ab officio celebrante, aut actum ordinis solemniter exercente, atque de excommunicato. cap. 1. de sentent. excommun. in 6. & cap. 1. de sent. & re iud. in 6. licet ignorantia crassa ignoret se esse excommunicatum. Dixi, maiori suspensione, quia suspensus minor suspensione, talia exercens, non fit irregularis, vt dicit Panorm. cap. Si celebrat. de cler. excommunicato minist. Idem dicendum de deposito, & degradato. Dixi, suspensus ab officio, quia suspensus à beneficio celebrans, non fit irregularis. Ita Panorm. cap. Nisi cum pridem. de renunc. numer. 19. & Gloss. 6. Latores de cler. excom. minist. vers. ab officio.

De irregularitate ex homicidio, & mutilatione. §. 14.

- 1 Quid est homicidium.
- 2 Quid est mutilatio.
- 3 Quid in corpore humano appellatur membrum.
- 4 An digitus appellandus sit membrum.
- 5 De auricula.
- 6 De mamilla.
- 7 Corollaria deducta ex definitione mutilationis.
- 8 An ex mutilatione oriatur aqua irregularitas, atque ex occisione.
- 9 Quot modis fit homicidium.
- 10 De clericis accusantibus criminosos.
- 11 De ratihabitione, & amissione.

I QVAESTIO. Quid est homicidium? RESP. Est priuatio vitæ corporalis humanæ.

2 QVAEST.

2. QVÆST. Quid est mutilatio? RESP. Est abscissio alicuius membri, aut partis membri humani, cum realiter à reliquo corpore separatur.

3. QVÆST. Quid est membrum in corpore humano? RESP. Est in corpore humano pars, quæ in eo distinctum habet à reliquis officiis.

4. QVÆST. Estne digitus dicendus membrum? RESP. Affirmant Caiet. 2.2.q. 65. art. 1. Sot. 5. iust. q. 2. art. 1. Oppositum sentiunt maior Canonistarum pars. Barth. lib. 2. ff. de publ. iud. Panormitan. c. deo diacono. ver. non. & c. Cum illorum de sent. excomm. Ioan. Andr. cap. ex iniuncto, de heret. cum alijs multis. Ac proinde, qui digitum abscindit, non fit irregularis, & hæc est communis Canonistarum sententia, inter quos multi, qui digitum habent pro membro, negant esse membrum ad irregularitatem inducendam.

5. QVÆST. Quid censes de auricula? RESP. Negat Couar. Affirmat tamen Speculator, tit. de dispensat. matrim. irregul. & iuxta. in fine.

6. QVÆST. Quid censes de mamilla in fœmina? RESP. Negat Couar. sup. Affirmat tamen Tolet. lib. 1. cap. 77. arbitraturque habere in corpore humano distinctum officium.

7. QVÆST. Ex definitione mutilationis, quid deducitur? RESP. In primis, per vulnerationem cum quacunque sanguinis effusione, ubi non est mors, nec mutilatio membri, non induci irregularitatem, ut notauit Panormitan. cap. de diacon. qui cler. verb. noue. & cap. Clericis. ne cler. vel monach. Deinde, qui membrum debilitat alterius, sed non abscindit, licet illud reddat impotens ad suum munus exercendum, non dicitur mutilare. ita cum communi Panorm. capit. De diacono & cap. Clericis citatu. Præposit. ibidem. Felyn. cap. Cuius illorum. de sent. excomm. Francus capit. Is qui. de sentent. excomm. in sexto. Quam opinionem late probat Toletus proxime. Et ideo qui alium excecat, sed oculum non foras eruit, non est mutilator. Neque qui homini mortuo abscindit membrum aliquod, neque qui fœtum, antequam animetur, occidit: animatur vero in visceribus matris, quadragésimo die, si est mas. Octogésimo, si est fœmina. Ratio

Medull. Casuum.

Ec

est

est manifesta. Quia nec separat membrum à corpore, qui alium solummodo excæcat, neque priuat vitam sensibili humana, qui vel membrum hominis moreni præscindit, aut fœtum non animatum enecat: vt patet in Philosophia.

8 QVÆST. *Sequitur ne ex utraque irregularitas?* R. S. P. Parem fecerunt iura mutilationem homicidio, qui eam occidit, aut mutilat, siue licite, siue illicite, irregularis est. *Clem. si furiosus. de homicid.* Verum multo diuersa irregularitate, quia qui occidit, aut mutilat iuste, vt cum ministri iustitiæ occidunt, aut mutilant malefactores, vel quis aggressorem occidit, aut interimit, fit irregularis ex defectu lenitatis, (ita appellantur) qui occidit aut mutilat iniuste, fit irregularis ex delicto.

9 QVÆST. *Quot modis fit homicidium?* R. S. P. Tribus voluntate, necessitate, aut casu. Voluntate vero fit, aut iuste, aut iniuste. Iuste fit, cum quis auctoritate publicæ fungens, malefactores, aut interficit, aut interficere facit, vt tortores, iudices, testes. Sed magnopere aduertendum est, requiri in iudice, aut publico ministro occidente iustum animum. est autem iustus animus, cum amore iustitiæ, & nõ zelo vindictæ occiditur malefactor, aut hostis communis. 23. *quest. 4. can. ea vindicta.* & 23. *quest. 5. can. minister.* vbi Archid. id adnotat & 23. *quest. 1. can. quicumque,* & ibi Gloss. & 11. q. 3. *can. Episcop. presbyter* & ibi Doctores. Si enim occidat animo vindictæ, fit irregularis ex delicto, sed cum limitatione, quam recte Tolet. *lib. 1. cap. 74.* adiunxit, scilicet, quando principalius occidit, quia priuatum inimicum occisurus, licet non fungeretur auctoritate publica. Necessitate fit quando quis coactus necessitate, ad defensionem mouetur iniustæ oppressionis, aggressorem occidit. Potest autem defendere, vel vitam propriam, vel vitam proximi, vel bona temporalia. Potest autem quis defendere vitam propriam occidendo, vel mutilando, vel cum moderamine inculpatae tutelæ, quando scilicet nulla alia ratione potest mortem, aut mutilationem propriam euitare, quam occidendo, vel mutilando. Vel non seruato moderamine inculpatae tutelæ, quia nimis eum poterat aliter effugere manus aggressoris. Dicoigitur

par I. Cum quis seruato moderamine inculpatae tutelae alium occidit, vel mutilat, nec peccat ( nisi faciat ex odio, aut vindicta ) quia iure naturali vim repellere licet: nec manet irregularis. Clem. *Furiosus. de homicidio*. Etiam si sit persona Ecclesiastica, vt ibi manifeste declaratur. Dixi; vitam propriam, quia si quis occidit ad euitandam propriam mutilationem, quam non nisi occidendo inimicum euitare potest, licet non peccet, manet irregularis ex defectu, hoc dictum disertè probat Tolet. *lib. 1. cap. 74*. Quia per Clem. *Furiosus*. citatam sola irregularitas iuris antiqui sublata est, quae etiam in defensione propriae vitae seruato moderamine inculpatae tutelae contrahebatur. Dico *secundo*. Qui occidit, aut mutilat non seruato moderamine inculpatae tutelae, semper manet irregularis: sed magno cum discrimine.

Nam cum quis peccat, occidendo, aut mutilando non seruato moderamine: qualis est Ecclesiasticus, qui vitae poterat per fugam consulere, cum teneatur Christi humilitatem imitari ratione sui status, nec ei fuga cedit in dedecus, imo in honorem ob imitationem Christi, manet irregularis ex delicto. Cum vero quis occidit, aut mutilat non seruato moderamine sine peccato, qualis esset miles gloriosus, qui licet posset vitam tueri fugiendo inualorem, non tamen teneretur fugere, quia illi fuga vertitur in ignominiam, manet irregularis ex defectu. Dico *tertio*. Qui ad defendendam vitam proximi, alium occidit, aut mutilat, non peccat. Ita definitur *cap. Dilecto. de sentent. excommun. Quia unicuique mandauit Deus de proximo suo &c.* Non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus. Manet tamen irregularis. ita Gloss. *Clem. unic. de homicid. si vero seruauit moderamen inculpatae tutelae, manet irregularis ex defectu: si autem non seruauit ex delicto*. Dico *quarto*. Qui occidit, aut mutilat in bonorum temporalium defensione, irregularis est. Verum latum est discrimen: nam cum licet occidere, vel mutilare raptorem ad conseruanda bona propria, vt licet homini laico saeculari, irregularitas ex defectu: cum vero non licet, vt non licet, personae Ecclesiasticae, vel cum res temporalis est parui momenti, tunc irregularitas est ex de-

licto. hac de re Toletus latè, & disertè. Dico quinto. Suppono quod homicidium casuale est, quod fit præter intentionem occidentis, aut facientis id, unde mors secuta est. Qui operam dabat rei illicitæ, ex qua mors: siue per se, siue per alium est secuta, etiam si fit præter eius intentionem, est irregularis ex delicto, etiam si omnem diligentiam præmiserit, ne quis occideretur. Ita Syluest. *homicid. 2. §. 2.* Couar. Tolerus, & est communis sententia. Hinc manet irregularis qui percussit alium animo non occidendi, licet mortuus sit ex infirmis, aut medicorum incuria, aut ex morbo percussioni superueniente, quia operam dabat rei illicitæ. Item manet irregularis, qui iniquam rixam cum alio habuit, quem amici in auxilium aduenientes, illius intuitu occiderunt. Ita Panorm. & Anani. *cap. Petrus de homicid.* quia dabat operam rei illicitæ. Item manet irregularis, qui percussit alium, licet nec lethaliter, nec animo occidendi, tamen ea percussione, ut factus sit impotens ad fugiendum, & ob id superuenientes illius inimici, illum occiderunt. Ita Anan. *cap. Significasti numer. 46.* & ibi Panormitan. quia dabat operam rei illicitæ. Item manet irregularis clericus in maioribus, vel in minoribus habens beneficium, chirurgiam exercens, si quem incidit, aut adussit: ita ut ex ea incisione, vel adustione mors secuta sit, licet ex incuria infirmi. *capitu. Tua nos de homicid.* quia dabat operam rei illicitæ, clerico enim interdicitur usus chirurgiæ. Item manet irregularis, qui inhonestè ludens cum prægnante muliere, ita eam per locum attrectauit, ut abortus animati foetus fuerit subsecutus. *cap. Sicut. 2. de homicid.* quia dabat operam rei illicitæ. Deinde manet irregularis, qui medicinæ ignarus, bono tantum zelo motus, dedit infirmo potionem, ex qua orta est mors.

Potionem, inquam, etiam aquæ, vel vini, &c. sine medici consilio. Ita Innocent. *capitu. Tua nos de homicid.* & Præposit. *Can. 1. distin. 50. numer. 27.* Item manet irregularis, qui in torneamentis, alterum percutit solo animo ludendi, & vires exercendi, si moriatur ex vulnere, quia hic ludus est prohibitus. *cap. Felicitis de torneam. item* manet irregularis, qui tenellum infantem secum in lecto collo-

collocavit, & dormiens oppressit, cum prohibitum sit, secum tenellos infantes in lectulo collocare per noctem. *Can. consuluist. 2. quest. 5.* nisi ad id cogat paupertas, & tunc adhibenda est omnis cura, ne sequatur oppressio, quæ cura si defuit, contracta fuit irregularitas, ita Tolet. *proximo loco. Dico sexto.* Qui operam dabat rei licitæ, si tamen non adhibuit prius diligentiam, ne mors sequeretur, si ea fuit secuta, irregularis est, exempla multa habentur in Tolet. *lib. prim. capitu. 75.* Non est tamen adhibenda diligentia, nisi quando est periculum mortis, ac mutilationis in tali re licita, vt adnotat Pannorm. *capitu. ex literis. 2. de homicid. & Anan. ibid.* Hinc manifeste colliges non esse irregularem eum, qui cum daret operam rei licitæ, adhibuit omnem diligentiam moralem, ne mors alicuius sequeretur, & tamen casu fuit subsecuta. Ita omnes Doctores, &c. Colligo secundo in casuali homicidio semper irregularitatem esse ex delicto, quia videlicet, aut irregularis dabat operam rei illicitæ: aut quia cum daret operam rei licitæ, non adhibuit omnem diligentiam. Ita D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 8. Pannormitan. *cap. ad aures. de atat. & qualit. Præposit. Can. 1. d. 50. nu. 26.* probaturque ex *cap. Ioannes c. Dilectus de hom.* vt probat Tolet.

Aduertendum tamen est, non quamuis rem illicitam, vnde mors casualiter fuit subsecuta, censi illicitam ad effectum irregularitatis: sed eam solum quæ ex genere suo, est periculosa homicidij, ita Sot. *lib. 5. iust. q. 1. art. 9.* Couarr. & Socin. *c. ad audientiam. de homicid. & Anchar. c. vlt. de hom. in 6.* sed hæc doctrina intelligenda cum res illicita, cui dabatur opera, non fuit immediata causa mortis: si enim fuit ita immediata causa, inducit, quomodolibet sit illicita, irregularitatem, vt late probat Toletus *proxime*, qui hac de re laus, & disertissime pertractat. Dico *septimo.* Qui mandat alteri, vt occidat, aut mutilet vel aliquid agat, vnde procedat mors, aut mutilatio, irregularis est. *c. Si quis viduam d. 50.* Verū, qui re integra reuocauit mādaturum expresse, & sine fictione, mandatarius tamen noluit acquiescere, sed occidit, & mutilauit, mandans non est irregularis, Ita Innocent. *c. Ad audientiam. de homic. ibid.* Ancharan. & Anani. Nec



idem dum mandatarius occidit nomine proprio, non mandantis. Ita Ioan. And. & Anchar. c. ad audientiam. de homicid. Nec item cum mandatarius occidit, post tempus a mandante præscriptum. Ita Anan. in cap. ad audient. est. Dico Octauo. Consulens alteri, ut occidat, aut faciat aliquid, unde mors sequitur, irregularis est, ita Præposit. Can. si quis viduam d. 30. & alij, supra citati: par enim ratio est de consulente, atque de mandante. Vnum tamen latum discrimen est, quod non sufficit reuocare consilium ad fugiendam irregularitatem, si consiliarius ex vi consilij occidit, vel mutilauit, ut notat Innocentius in cap. ad audient. de homicid. communiter receptus: siue sufficit in mandante, ut iam supra ostendi. Non est tamen irregularis clericus, qui in bello iusto excitat milites ad bellandum, dummodo eos non exciter ad occidendum, vel mutilandum, licet postea in ipso conflictu sequantur, homicidia, & mutilationes. Ita Panormitanus cap. Petito. de homicid. & Gloss. Can. clericum. d. 30. Dico nono. Qui ita defendunt homicidas, ut hominum occasionem, tuto, & liberius efficiant, vel animosius, irregulares sunt, cap. Sicut dignum. de homicid. §. illi etiam. si autem defensio fuerit iusta, utpote in homicidio iusto, & personis non prohibitis erit ex defectu.

Si vero ad homicidium iniustum, vel ad iustum personis Ecclesiasticis, erit ex delicto: & sic adest intentio mortis erit ex homicidio voluntario: si vero est præter intentionem, erit casuale, iuxta superius dicta de mandante, & consulente. Hanc ob rem sunt irregulares fiscalis notarius, testes, qui literas scribunt, in quibus iubetur officiali ut occidi faciat aliquem malefactorem, satellites, notarij sententiam mortis scribentes, notificantes eam reo cum auctoritate, quique interfuerint dum reus occiditur, auctoritative, & tanquam fautores, accusator in causa sanguinis, aduocatus contra reum, aduocatus qui defendit reum contra auctorem, erga quem exigitur pena talionis, quæ illi irrogata est cum morte vel mutilatione. Ita Præposit. Can. i. d. 30. n. 16. Panor. cap. Ex his. de exces. pralat. & patet ex Canon. aliquantos d. 51.

10 QVAEST. Possuntne absque irregularitate clerici, con-

queri

queri, & querelam deponere etiam apud indices sacularas, contra suos malefactores in defensionem sui, & rerum suarum, etiam super criminibus, in quibus poena sanguinis venit imponenda? RESP. Possunt. cap. Prelatus. de homic. in 6. si protestentur se nolle vindictam, & sanguinis poenam, quae protestatio satis est, si verbo fiat. Possunt etiam eosdem malefactores in sui rerumque suarum defensionem capere, & iudici tradere, ut tenet Socin. cap. Ad aud. de homicid. n. 52. Pro rebus suis intelliguntur bona temporalia, serui, ancilla, &c. non tamen amici, aut alio vinculo coniuncti, ut notat Francus supra. Haec tamen protestatio debet esse vera: si enim verbo tenus protestetur, se non ob vindictam facere, tamen reuera animum habet vindictae, ita irregularis est ex delicto ac si non faceret protestationem: erit tamen in solo foro conscientiae irregularis, dum animus vindictae laet. Ita Hostiensis in sum. de homicid. §. qua poena. vers. verum circa haec. Archidiacon. cap. Prelatus. de homicid. in 6. Gemin. ibid. & Ioan. Andr. & Francus. Item Anan. cap. Postulasti. de homicid. D. Anton. 3. p. tit. 28. cap. 2. §. 4. Tolet. lib. 1. cap. 30. protestatio enim supponit animum non vindicandi, & cum habenti suffragatur: aliter enim non est vera protestatio. Nec valet argumentum, quia Ecclesia non iudicat de actu interiori: iudicat enim cum ille coniunctus est, cum actu exteriori, & ita punit excommunicatione, externum actum haereticalem, cum procedit ab interna haeresi, atque alios similes. Possunt etiam clerici absque irregularitate denunciare de crimine vergente in publicam perniciem, cum eadem protestatione, licet delinqueas morte, aut mutilatione puniendus sit. ita Caiet. 2. 2. d. 32. art. 3. Nauar. Can. inter ver. 11. q. 3. corol. 53. cum Cou. & colligitur ex cap. Accusasti. de Accusat.

II. QVÆST. Præter tres modos, consilium scilicet, mandatum, defensionem, daturne alius, per quem contrahatur irregularitas? RESP. Maxime. In primis rati habitio, quando nempe aliquis homicidium nomine eius factum, etiam ipso ignorante, ratum postea habet. Ita Archidiacon. cap. si quis viduam d. 50. Speculum. titul. de leg. §. iuxta propositum. Boic. cap. sicut dignum de homic. Sylu. homicid. 3. §. 2. Rossel. homicid. 2. §. 5. Nauar. in summ. 6. 27.

num. 233. pro hac opinione facit, quia in delictis, rati-  
 brio mandato æquiparatur. Reg. ratihibitionem de reg.  
 iuris in 6. fauet etiam cap. si quis de sentent. excommuni. in 6.  
 Debet autem esse eius nomine factum, tempore quo  
 ipse posset idem facere, vt notat Panorm. cap. i. de conuer.  
 infid. seio oppositum docere Tolet. lib. i. cap. 81. Hostien.  
 Archid. Tabien Armil. Couarr. quos refert, motus est  
 principio, quia non inducenda est irregularitas, quæ ex-  
 presse non habeatur in iure, vt habetur cap. Is qui, de sen-  
 tent. excommuni. in 6. sed non audeo Doctorum communem  
 refragari. Alter modus contrahendi irregularitatem est  
 omisso, nempe, quando aliquis non liberat à morte eum  
 quem poterat auxiliando liberare. Quoniam tamen res  
 est obscura, & valde controuersa, latius in ea immor-  
 bor. Quando igitur non liberatio, aut non prohibitio  
 vim habet auxiliij, aut consensus apud occidentem, tunc  
 qui non liberat, aut non prohibet, est irregularis, quia in  
 eo casu est auxilium, aut consensum præstare, casus est  
 in cap. Petrus de homicid. Quando etiam non liberatio est  
 illicita, & contra iustitiam ( tunc autem talis est, quando  
 quis ex officio, aut mercede tenebatur liberare ) est irre-  
 gularis, & homicida non liberans. Dixi ( contra iustitiam )  
 quia non liberatio contra solam charitatem non facit ir-  
 regularem. Longiorem hac de re disputationem, legitur  
 apud Toletum. lib. i. cap. 82.

---

## CAPVT XI.

### Quid est suspensio. §. 1.

- 1 Quid est suspensio.
- 2 Certa regula in hac materia.
- 3 Quis potest suspendere.
- 4 Quis potest suspendi.
- 5 Propter quid potest ferri suspensio.
- 6 Quod peccatum punitur suspensione.

7 An requiratur contumacia.

6 De forma ferenda suspensionis.

9 De effectibus suspensionis.

10 De Absolutione à suspensione.

11 An clericus publicè concubinaris sit ipso iure sus-  
sensus.

1 **Q**UÆSTIO. Quid est suspensio? **R**ESP. Est Ecclesiastica  
censura, privans vsu Ecclesiastici officij, aut bene-  
ficij. Pro officio intelligo tam ordinis, quam iuris-  
dictionis. Pro beneficio intelligo, tam, beneficia cura-  
ta, quam simplicia, atque etiam dignitates, & canoni-  
catus.

2 **Q**UÆST. Suntne in hac materia aliquot certa regula?  
**R**ESP. Maxime. Prima sit, suspensus ab ordine, non ob  
id est suspensus de iurisdictione, neque è contra, quia  
hæc sunt inuicem distincta, & vnum ab altero non pen-  
det. *capit. Aqua. de consecrat. Eccles.* Aperte hoc decernitur  
in Episcopo suspenso à Pontificalibus, quæ quidem tan-  
tummodo pertinent ad officium ordinis. *cap. transmissa-  
de elect. probat Geminia. in capit. 1. §. officiales. numer. 3. de  
offic. ordin. libr. 6.* notat Panormitan. *capit. Cum dilectus. de  
consuetud.*

*Secunda* regula. Suspenfus ab ordine maiori, non ob  
id est suspensus a minori. V. g. suspensus ab officio sacer-  
dotij, non est suspensus ab officio diaconatus. E contra  
vero, suspensus ab officio minoris, manet suspensus ab  
officio maioris. ita Hostiens. *ca. dilectus filius. de tempor. or-  
din. & Tolet. lib. 1. cap. 43.* cum communi.

*Tertia* regula. Suspenfus simpliciter ab officio intelli-  
gitur tam ordinis, quam iurisdictionis. Ita Gloss. *cap. Cum  
dilectus de consuet.* Ibi Panormit. *num. 19.* Felyn. *ca. Aposto-  
lica num. 16. de exceptionib.* Tolet. *proxime cum communi,*  
contra Gloss. *Can. audiuimus. 24. qua. 1.*

*Quarta* regula. Suspenfus ab administratione Eccle-  
siæ, vel beneficij tam in temporalibus, quam in spiritu-  
alibus, non ob id est suspensus ab ordine. Ita Tolet. *libr.  
6. ca. cit. proxime num. 12.* cum Syluest. & Abbate.

*Quinta* regula. Suspenfus simpliciter, non apposto

C c 5

ab of-

ab officio, vel beneficio, intelligitur suspendi ab omnibus, Ita Sylu. *verb. suspensio* §. 5.

3 QVÆST. *Quis potest suspendere?* R E S P. Omnis ille qui potest excommunicare, potest suspendere, ita Doctores communiter, vt notat Sylu. *suspensio* §. 2. Ang. *suspensio* 2. §. 3. Tolet. *lib. 1. cap. 44. num. 1.*

4 QVÆST. *Quis potest suspendi?* R E S P. Sola persona Ecclesiastica. Ratio est manifesta ex definitione suspensionis. Nota tamen, quod Episcopus non incurrit suspensionem a iure, nisi de eo specialis fiat mentio, vt habetur *ca. periculosus de sent. excomm. & ibi Gloss.*

5 QVÆST. *Propter quid ferri potest suspensio?* R E S P. Propter peccatum, neque absque illo quis suspendi potest. *ca. satis peruersum d. 56.*

6 QVÆST. *Quale debet esse huiusmodi peccatum?* R E S P. Qualis fertur suspensio: itaq; si suspensio est leuis, etiam pro peccato veniali ferri potest. ita Caiet. *verb. susp. Nauar. ca. 27. num. 19.* Tolet. *lib. 1. ca. 44.*

7 QVÆST. *Requiriturne contumacia ad suspensionem, sicut requiritur ad excommunicationem?* R E S P. Minime. Sed imponi potest in pœnam præteriti peccati. Ita Inno. *cap. peruenit. num. 3. de excess. Prala. Abb. in ca. reprehensibilis num. 4. de appell.*

8 QVÆST. *Qua est forma suspensionis?* R E S P. Nulla sunt determinata verba in forma suspensionis obseruanda, sed quæuis suspensionem exprimentia sufficiunt, vt suspendo te, &c.

9 QVÆST. *Qui sunt effectus suspensionis?* R E S P. Plurimi. In primis suspensus exercens id à quo est suspensus, peccat *capit. 2. de mai. & obed.* Deinde suspensus ab ordine, exercens actum talis ordinis manet irregularis. *cap. cum atern. de sentent. & re iudic. in 6. capit. 1. de sentent. excommunic. libr. 6.* & ita omnes Doctores *ibidem.* Dixi, suspensus ab ordine, quia qui suspensus est ab officio prædicationis, licet inobediens prædicationem exercens peccet, & eo ipso sit excommunicatus, Clem. *cupientes §. quibus. circa finem. de poenitent. & ibi Ancharan. numer. 10.* non fit tamen irregularis, vt notat Calder. *Clem. cupientes citat. Angel. verb. suspensio. 3. §. 8.* Quæ doctrina intelligenda est, nisi prædicet solemniter, & ex officio; *rupc. ca. 11.*

enim prædicando sit irregularis, ut vult Nauar. *in summ. capit. 27 numer. 163*. Tertio. Suspendus ab officio, nec potest eligi, nec eligere in beneficium aliquod. *capit. Cum dilectus de consuetud. adiuncta Gloss.* nec potest excommunicare, nec conferre aliquod beneficium. *cap. Quia diuersitatem, de concessio. Præben.* Quarto. Suspendus a beneficio, iusta suspensione, non facit fructus beneficij, nisi ad modicam sustentationem, si est pauper: qua modica sustentatione etiam priuatur, si suspendus est ob contumaciam, ut notat Abb. *cap. Apostolica numer. 7. & ibi Felyn. nu. 9. de excep. Couar. verb. resolut. li. 3. ca. 13*. Fiunt ergo huiusmodi fructus utilitati Ecclesie, ut notat Imola *capit. sicut, col. 3. de cohabit. cler. & mul.*

10 QVÆST. Quis potest absoluere à suspensione? R E S P. Absolutio suspensionis ab homine, pertinet ad eum, qui eam posuit, vel ad eius successorem, vel superiorem. Ita Boic. *cap. Clerici numer. 6. de cler. excomm. minist.* Angel. *suspensio. 4. §. 1. Sylue. ibi. §. 8.* Absolutio suspensionis a iure, à quo determinatum est tempus suspensionis, ante finitum tempus, pertinet ad iuris conditorem, vel ad superiorem, quamuis non sit aliunde reseruata. Ita Gloss. *capit. Cupientes. de elect. in 6. & Gloss. Clem. cupientes. de haret.* Si tamen suspensio est à iure, non assignante tempus, neque est reseruata, potest ab ea Episcopus absoluere. Ita Innocent. communiter receptus *in cap. 2. de solut. Felyn. cap. Ad si clerici §. de adulteriis, numer. 12. de iudic. & Nauar. in summ. cap. 27. numer. 162.* Quam doctrinam intellige, cum suspensio posita fuit ob contumaciam, vel etiam cum ob delictum, quodquod illud sit. Ita Panormitan. *Clem. 1. numer. 25. de haret. & ibi Gloss. Innocent. capit. 2. de solut. Sylu. suspensio. numer. 8. ex cap. Nuper. de sent. excom. verb. non renuit.*

11 QVÆST. Estne ipsa iure suspensus clericus notorius concubinaris? R E S P. Maxime. *cap. Quæsitum, de cohabit. cler. & mul.* Est autem notorius concubinaris, qui domi habet suæ concubinam, ut uxorem. Ita Abb. *cap. Vestra numer. 7. de coh. ab. cler. & mul.* Hac tamen de re, de que alijs particularibus suspensionibus, latè Tolet. *libr. 16. c. capit. 47. & 48.*

## CAPVT XII.

## De Interdicto. §. 1.

- 1 Quid est interdictum.
- 2 Quotuplex est interdictum.
- 3 Quis potest interdicere.
- 4 Quis potest interdici.
- 5 Ob quid potest ferri interdictum.
- 6 Quæ est forma interdicti.
- 7 Quæ ceremonia sunt seruanda in interdicto.
- 8 De intimatione interdicti.
- 9 Tria prohibentur tempore interdicti: celebratio diuini officij: sacramentorum administratio: Ecclesiastica sepultura.
- 10 Quid intelligitur nomine diuini officij.
- 11 Quomodo liceat celebrare diuina officia tempore interdicti.
- 12 Qui possunt interesse diuinis officijs tempore interdicti.
- 13 Tenenturne priuilegiati tempore interdicti audire sacrum.
- 14 Quibus diebus licet celebrare diuina officia, durante interdicto.
- 15 Quam censuram incurrit, qui celebrat tempore interdicti.
- 16 An prohibeatur omnis actus ordinis tempore interdicti.
- 17 Quæ sacramenta licet ministrare tempore interdicti.
- 18 Quæ res sacra licent tempore interdicti.

- 19 An pueris interdicatur Ecclesiastica sepultura,  
tempore interdicti.
- 20 De peccato violantis interdictum.
- 21 Quis potest absolvere ab interdicto.
- 22 Ad quid tenentur Religiosi, tempore interdicti.
- 23 An priuilegiatus tempore interdicti, possit secum  
deferre familiam ad diuina.
- 24 An innodentur censura laici, si adsunt diuinis  
tempore interdicti.
- 25 An pueri post rationis usum, possint interesse di-  
uinis.
- 26 An priuilegiati teneantur audire sacrum.

1 **Q**UÆSTIO. Quid est interdictum? **R**ESP. Est censura  
Ecclesiastica, qua prohibentur diuina officia, sa-  
cramenta, & sepultura actiue, & passiuè. Ita Nau.  
*cap. num. 164. cum communi.*

2 **Q**UÆST. Quotuplex est interdictum? **R**ESP. Triplex  
Locale tantum, Personale tantum, locale, & personale  
simul. *Locale* tantum est, quo solus locus interdicitur,  
quod rursum est duplex: generale, quo vniuersalis locus  
interdicitur, vt regnum, vel prouincia: speciale, quo in-  
terdicitur peculiaris locus, vt ciuitas, oppidum. Interdi-  
ctum *personale* tantum est, quod interdicit personas tan-  
tum, quod etiam est duplex, generale, quo interdican-  
tur vniuersim omnes personæ huius oppidi, &c. & spe-  
ciale, quo interdican-  
tur certæ personæ. Interdictum  
*locale*, & *personale* simul est, quo non solum locus, sed &  
persona interdicitur. Exemplum est in interdicto, quod  
appellant deambulatorium, quo quidem interdicitur  
persona, & locus, quo fuerit eadem persona.

Nota tamen, quod interdictum ciuitatis, includit etiã  
suburbia, & ædificia prope mœnia. *cap. Si ciuitas de sent.  
excom.* Item, interdictum Ecclesiæ comprehendit etiam  
facella, & cœmeterium contigua. *capit Si ciuitas cit.* Ita  
Nau. *cap. 17. num. 164. Tolet. cap. 1. de interdict.*

4 **Q**UÆST. Quis potest interdicere? **R**ESP. Qui potest  
excommunicare, & suspendere.

5 **Q**UÆST.



5 QVÆST. Quis potest interdici? R E S P. Qui potest excommunicari, & suspendi, & ideo vniuersitas, quæ non potest excommunicari per capit. Romana. de sentent. excommunic. in 6. non potest interdici, per capit. Si ciuitas citat.

6 QVÆST. Ob quid potest ferri interdictum? R E S P. Ob solam culpam, vel propriam, vel alterius. Et ideo interdictum comprehendit etiam infantes, & amentes. Ita Nau. capit. 17. Tolet. cap. 2. de interdict. ex Can. Minor. ap. quæst. 4. & ex cap. 16. Si sent. de sentent. excom. in 6. Adducit que pro hac sententia duplicem rationem, & vtramque satis congruam. Quoniam, inquit, interdictum est signum iustitiæ Ecclesiæ, & ideo vult, vt omnes patiantur eandem mœrorem. Deinde, quia tunc qui dedit causam interdici, magis confunditur.

6 QVÆST. Quæ est forma interdicti? R E S P. Non est certa, sicut nec in alijs censuris, Ideo seruanda est consuetudo in illo euulgando. Ita Cardin. Tolet. capit. 2. de interdict.

7 QVÆST. Quæ ceremonia sunt seruanda in euulgando interdicto? R E S P. Cum imponitur ab homine, oportet euulgeretur in scriptis. Ita decernitur ca. Cum medicinalis de sentent. excomm. lib. 6. Insuper debet apponi causa expressa, quæ sit rationalis. Præterea debet præmitti tria monitio peccatoris, propter quem imponitur. Ita iubetur ca. Reprehensibilis de appell. in Decretal. Dixi, si est ab homine: quia si imponitur à iure ipso facto incurritur.

8 QVÆST. Estne opus ad interdictum totius ciuitatis, ut intimitur in omnibus eiusdem ciuitatis Parochijs, & Ecclesijs? R E S P. Minime. Sed est satis intimari in Ecclesia Matrice. Ita habetur cap. 1. de postulat. pralat. notat Tolet. cap. 2. de interdi.

9 QVÆST. Quæ vetantur tempore interdicti? R E S P. Tria. Nimirum diuinorum officiorum celebratio, sacramentorum vsus, Ecclesiastica sepultura. Ita capit. Non al. de sponsalib. cap. fin. de excess. pral. cap. Quod in te. de poen. & remiss. ca. Responsio. de sent. excom. ca. Quoniam. ca. Si eo. eod. tit. in 6. & claret ex tradita definitione interdicti.

10 QVÆST. De vnoquoque horum trium peculiari proponam dubitationes. Atque in primis quid intelligitur

*diuini officij?* R E S P. Intelligitur Missa, Officium diurnum horarum canonicarum, Officium B Mariæ. Officium Defunctorum, Benedictio aquæ, cineris, ramorum, candelarum. Intelliguntur processiones, commemoraciones quæcunque, funera pomposa, exequiæ, benedictiones nuptiales. Ita Roder. *in addition. ad cruciatam. §. 5. numer. 22.* Non tamen intelligitur recitatio Letaniarum, etiam musico cantu, dummodo non recitetur à clericis superpellicio indutis, & in processione cum Cruce. Ita Doctores communiter teste Nau. *ca. 27. num. 166. & 171.*

11 QVÆST. Prohibeturne horum diuinorum officiorum celebratio adeo, ut nullatenus liceat feri tempore interdicti? R E S P. Minime. Nam singulis hebdomadis licet semel missam vnã celebrare, pro renouanda Eucharistia ad infirmos. Ita habetur *capit. Permittimus. de sentent. excommunic. vbi Hostiensis, notat Card. Tolet. capit. 2. de interdicto.* Quæ missa dicenda est summissa voce, non pulsatis campanis & foras missis in primis excommunicatis, & interdictis nominatim. Ita habetur *capit. fin. §. adijcimus. de excommunic.* & insuper omnibus, qui non habent priuilegium, vt notat *ibidem Gloss. verb. interdictum.* Deinde ex priuilegio Bonifacij VIII. *capit. Alma mater. de sentent. excommunic.* possunt tempore interdicti generalis, missas, & diuina alia officia celebrari ianuis clausis summissa voce, secreto, expulsis omnibus foras non priuilegiatis. Ita communiter Doctores, teste Tolet. *capit. secundo de interdict.* Tempore vero interdicti specialis, etiam ianuis patentibus pulsatis cimbaliis, alta voce, & solemniter. Ita interpretati sunt Bonifacij priuilegium Doctores Salmanticenses teste Roder. *in add. ad Cruciatam. §. 5. num. 20.* dummodo expellantur nominatim excommunicati, & interdicti. Quanquam oppositum docet Toletus *cap. 2. de interd.* asserens Bonifacium interdicti specialis non meminisse, & ideo reliquisse illud conditioni iuris antiqui.

12 QVÆST. Dicitur, qui habent priuilegium ad audienda diuina officia tempore interdicti, & ad sepulturam Ecclesiasticam? R E S P. Clerici tonsurati, & celibes etiã primæ tonsuræ fruuntur hoc priuilegio. Ita cõmuniter Doctores. Dixi,

Dixi, clericos celibes, quia clerici vxorati amittunt omnia priuilegia clericalia, *capit. Ioannes de cler. coniug.* Duo excipio, nimirum vt eorum percussores contrahant excommunicationem *Canonis si quis.* & pluriantur, vt percussores clericorum. Deinde, ne cōueniantur coram iudice sæculari. *cap. unico. de cler. coniug. in 6.* notat. Card. Tolet. *cap. 2. de interdicto.* Fruuntur etiam hoc priuilegio, qui habent concessionem ab aliqua bulla. Qui priuilegiati possunt secum deferre familiam. *cap. Licet nobis. de priuilegiis. in 6.* Pro familia vero intelliguntur famuli domi habitantes, qui dominum exeuntem domo solent comitari. Ita Tolet. *cap. 3. de interd.*

13 QVAEST. Tenentur ne priuilegiati tempore interdicti audire sacrum? RESP. Tenentur. ita *Sot in 4. d. 22. quæst. 3. art. 1.* Tolet. *cap. 3. de interd.* Ratio est, quia præceptum obligat eos, qui licite missam possunt audire: sed priuilegiatus potest illam audire, ergo &c.

14 QVAEST. Quibus diebus anni suspenditur effectus interdicti, & ex consequenti possunt celebrari diuina officia, si non esset interdictum? RES P. Ex iure nouo per concessionem Bonifacij in *cap. Alma mater.* in diebus Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. Mariæ. Item ex concessione Martini V. & Eugenij IV. in festo Corporis Christi, & octaua festi. In festo Conceptionis B. Mariæ in Ecclesijs, in quibus dicitur illius officium incipiens. Sicut lilium inter spinas. Atque in his diebus, ita effectus interdicti adeo tollitur, vt diuinis interdicti possint etiam ij qui dederunt causam interdicti. Sic Tolet. loco citato. *Nau. cap. 27. nu. 183. & 184.* per Extraneum Martini V.

15 QVAEST. Qua censura innodatur, qui tempore interdicti celebrat? RES P. Irregularitatis. Ita ex iure probat *Co. cap. alma p. 2. §. num. 2.* Guterres in *que. Can. ca. 10.* Henr. lib. 3. de interd. *ca. 14. nu. 1.* Tolet. *ca. 3. de interd.*

16 QVAEST. Prohibentur ne tempore interdicti localis, cum actus ordini alicui deputatus, solemniter exercitus? RES P. Prohibetur. Et ideo prohibetur subdiaconus cantare Epistolam cum manipulo. Diaconus cantare Euangelium cum stola. Acolitus ministrare vinum, & aquam subdiacono: & sic de reliquis. Ita *Nauar. in sum. cap. 27. num. 17.*

eum Doctoribus communiter.

19 QVÆST. *Quæ sacramenta licet ministrare tempore interdicti?* RESP. Licet ministrare sacramentum pœnitentię omnibus, præterquam illi, qui dedit causam interdicti, nisi paratus sit obedire. Item neque ei, qui tali causæ interdicti auxilium præstitit, vel consilium, nisi prius satisfacit, aut quantum in se est curet, ut satisfiat. Ita Tolet. *cap. 3. de interd.* colligiturque ex *cap. Alma mater.* Dico secundum. Matrimonium non prohibetur, etiam interdictis personaliter. Ita citatus Cardinalis. *num. 9.* Non sunt tamen dandæ benedictiones. Notat Viuald. *tract. de sacr. in genere.* Dico tertium. Eucharistiam non licet conferre, nisi solis infirmis *cap. Non de sponsalibus.* vbi Gloss. *verb. baptism. & verb. pœnitentia.* Infirmis vero non omnibus, sed solis constitutis in articulo mortis. Notat Viuald. *de sacrament. in gener. & Tolet. cap. 3. de interd.* ex citato *cap. Non est.* & ex *cap. Quod in te. de pœn. & remiss.* Pro articulo vero mortis, intelligendū est etiam periculum probabile mortis. Ita Couar. *ca. Alma. 2. p. §. 3. nu. 2. & 3.* Armil. *verb. interdictum.* cum Abbat. Ioan. And. & alijs quos referunt. Censetur autem probabile mortis periculum, difficilis nauigatio: difficilis partus, & similes euentus iuxta Rode. in addition. ad Cruciatam §. 5. *nume. 24.* Dico quartum. Virgente graui penuria sacerdotum potest Episcopus ordines celebrare. ita Syluest. *interdictum. 5. quest. 7.* Cou. *capit. alma. 2. p. §. 3.* & Viuald. loco citato, Neque hoc negat Tolerus, quamuis oppositum absolute asserere videatur.

Dico quintum. Non licet in aliquo euentu ministrare sacramentum extremæ Vnctionis. Ita communiter Doctores Viuald. loco citato. Tolet. *ca. 3. de interd.* Nauar. *ca. 27. num. 171.* Barthol. *Med. lib. 1. ca. 11 nu. 13.*

18 QVÆST. *Quæ sacra licent tempore interdicti?* RESP. Pulsatio ad salutationem Angelicam. Mensæ benedictio, Oratio priuatim facta in Ecclesia, etiam si fiat ab ipsis interdictis. Cantus rerum sacrarum factus à laicis etiam in Ecclesia Resp. òratorum priuarum, etiam super sepulturam defuncti. ita cum communi Nauar. *cap. 27. nu. 176. & 177.*

19 QVÆST. *Interdicitur ne tempore interdicti Infantibus Medull. Casuum.* D d absque

absque rationis usu Ecclesiastica sepultura: R E S P. interdicitur. Ita Syluest. *interdictum*. & Cordub *questio*. 6. cum communi.

20 QVÆST. *Quod peccatum committit interdictum committens?* R E S P. Si sacerdos est, mortale. Ita Sylu. *interdictum* 5. §. 6. *Sot. in 4. d. 22. qu. 3. art. 1.* Si vero secularis sit, veniale. Nisi faciat ex contemptu. ita *Sot. & Caiet.* Quamquam immerito. Nau. illum ab omni peccato excusat. Eos refert, & sequitur *Tolet. loco citato.*

21 QVÆST. *Quis potest absolvere ab interdicto?* R E S P. Interdictum ab homine tollitur ab eo, qui illud posuit vel à superiore. Si est à iure, & causa cessauit, tolli potest ab Ordinario, etiam si interdictum positum sit sub excommunicatione referata Papæ. Si vero causa non cessauit, à solo Papa tolli potest.

22 QVÆST. *Ad quid tenentur Religiosi tempore interdicti?* R E S P. Ad illud seruandum. Ita decreuit Conc. *Trid. sessi. 21. ca. de reg. ca. 12.*

23 QVÆST. *Potestne priuilegiatus ad audiendum sacrum tempore interdicti secum deferre familiam?* R E S P. Potest. Ita habetur *cap. Licet nobis. de priuileg. libr. 6.* Pro familia vero intelliguntur famuli domi habitantes, qui dominum exeuntem domo solent comitari. Ita *Card. Tolet. cap. 3. de Interd.*

24 QVÆST. *Incurruntne aliquam censuram laici, qui interfunt tempore interdicti diuinis officijs, cum non emittantur ab aliquo foras, qui si emitterentur, statim absque repugnancia exirent?* R E S P. Minime. Ita *Caietan. verb. vultus 5. ultim. Sot. in 4. distinctio. 22. quest. 3. art. 1. Naua cap. 27. num. 187.*

25 QVÆST. *Possuntne pueri post usum rationis interesse diuinis tempore interdicti?* R E S P. Minime. Sed ante illum admitti possunt. Ita communiter Doctores.

26 QVÆST. *Tenenturne priuilegiati tempore interdicti audire sacrum?* R E S P. Tenentur. Ita *Sot. in 4. d. 22. qu. 3. art. 1. Tolet. cap. 3. de interdicti.* Ratio est, quia preceptum obligat eos, qui licite possunt missam audire: tales autem sunt priuilegiati tempore interdicti; ergo, &c.

## CAPVT XIII.

## De cessatione à Diuinis. §. 1.

- 1 Quotuplex est cessatio.
- 2 De definitione cessationis.
- 3 Explicatur cessationis definitio.
- 4 Quot modis fit cessatio.
- 5 An sit idem cessatio, atque interdictum.
- 6 In quo differunt cessatio, & interdictum.
- 7 An cessatio à Diuinis sit censura.
- 8 De priuilegio audiendi sacrum tempore cessationis.
- 9 De eodem priuilegio tempore cessationis generalis.
- 10 An liceat celebrare tempore cessationis generalis.
- 11 An priuilegiatus ad audiendum sacrum tempore cessationis, possit suscipere Eucharistiam.
- 12 An effectus cessationis suspendatur ijs diebus quibus cessat effectus interdicti.
- 13 De obligatione recitandi horas canonicas tempore cessationis.
- 14 An liceat celebrare semel in hebdomada.
- 15 Quis potest edicere cessationem.
- 16 Ob quas causas potest imponi cessatio.
- 17 An teneantur priuilegiati audire sacrum de tempore cessationis.
- 18 De pœna celebrantis tempore cessationis.

**Q**UÆSTIO. Quotuplex est cessatio: Rē s̄p. Duplex, vna, quæ fit ex priuilegio concessio Capitulo, conuentui, vel collegio alicui erga Ecclesias proprias, vel alienas, iuxta priuilegij tenorem, pro repellenda iniuria facta communitati. cap. Si canonica. ca. Quamuis & alijs, de Officio Ordin. Hæc autē cessatio non est censura Ecclesiastica.

stica, quia non imponitur à superiore habente iurisdictionem in foro contentioso, & de hac nobis est agendum.

2 QVÆST. Quo pacto definitur hæc censura? RES P. Cessatio est suspensio organorum diuinæ laudis, decreta erga aliquem locum, vel Ecclesiam, Ita colligitur ex cap. *Dilectis*. §. *verum*. de *appellat. cap. Non verbis*, & alijs, quæ adducit Viuald. *tit. de cessatio*. Per organa intelliguntur ministri Ecclesiæ. Ita Sor. *in 4. d. 22. qu. 3. ar. 2.* & ideo definit hanc censuram. Cessatio est ministrorum Ecclesiæ silentium. Definiri vero aptius potest hoc modo. Est pena, priuans diuinis laudibus in Ecclesiâ imposita ad correctionem ijs, qui nolunt satisfacere. Vnde apparet Nauar. & Tolerum *Tract. de interdicto. ca. 23. num. 1.* non satis explicuisse naturam huius Ecclesiastici remedij, cum dixit cessatio est desistentia à diuinis officijs, & administratione sacramentorum.

3 QVÆST. Qualis esse debet huiusmodi desistentia? RES P. Omnimoda, ita vt diuina officia nequeant fieri in Ecclesiâ etiam summissa voce, & ianuis clausis. Non licet interim ea durante, sepeliri Ecclesiastica sepultura in loco cessato. Neque alijs diuinus cultus exerceri Ita Lliamas *i. p. ca. 11. §. 7.*

4 QVÆST. Quot modis fieri potest cessatio? RES P. Duobus. Primo generaliter, vt quando cessatur in vno regno, vel prouincia, vel ciuitate, vel oppido. Ita Nauar. *in iur. ca. 27. nu. 128.* Viuald. *tit. de cess. numer. 4.* D. Anton. *3. p. tit. 26. cap. 2. §. 1.* Perosin. *ca. Si canonici. ver. cessare*. Alio modo specialiter, vt quando in vna, vel pluribus Ecclesijs cessatur. Ita Clem. *1. vers. in cessat. Domin.* Præpos. & Franc. *ca. Si canonici. citato.*

5 QVÆST. Estne idem cessatio à diuinis, atque interdictum? RES P. Olim idem erant in re, plura vero penes nomen, constat ex *ca. Non est de sponsal.* vbi id notant Abb. & Præpos. *num. 8.* adnotat insuper Sor. *in 4. dist. 22. quest. 3. artic. 1.* Nunc vero in multis differunt. Ita Nauar. *cap. 27. numer. 128.* Cum Calderin. & Card. quos refert Viuald. *tit. de cessat. numer. 5.* claret ex cap. *Alma mat. de sent. excom.*

6 QVÆST. In quo differunt cessatio & interdictum? RES P.

In primis, quia de cessatione, & interdicto loquuntur nunc summi Pontifices, atque de diuersis censuris, patet ex Clem. 1. de sentent. excomm. Secundo, quia in transgressione interdicti, tam specialis, quam generalis, incurritur irregularitas Probat Bonifac. in Clem. 1. nu. 90. post Card. & Imolam ibidem. Non incurritur vero in transgressione cessationis, siue generalis, siue particularis. Ita Innocent. cap. Dilectus. num. 3. quem ibi sequuntur Panorm. Petrosi Præpos. quos refert, & sequitur Nau. capit. 27. num. 188. cap. Is qui de sentent. excomm. lib. 6. Tertio, quia nulla cessatio à diuinis statuitur in iure, at vero interdictum sæpe apponitur ipso iure. Aduertit Sot. in 4. d. 22. quest. 3. art. 2. Interdicta vero à iure proposita refert Nau. cap. 27. numer. 169. habentur cap. Quauquam. de cens. lib. 6. Clem. 1. de pæn. Extrauag. super gentes. de consuet. & ideo cessationem à diuinis appellant multi quid facti, non vero quid iuris. Ita Panormit. ca. Dilectus. num. 7. de appell. Tab. interdict. 1. §. 1. Rosel. interd. 4. §. 9. Tolet. de interd. ca. 25. num. 1.

7 QVÆST. Estne cessatio à diuinis censura? RESP. Minime. Ita Nau. ca. 27. num. 164. Tolet. sup.

8 QVÆST. Qui habet priuilegium audiendi sacrum tempore interdicti, potestne ex vi talis priuilegij, sacrum audire tempore cessationis? RESP. Minime. Ita Nau. cap. 27. numer. 188. arg. cap. Priuileg. 3. dist. capit. Porro. capit. sane de priuil. Ratio est, quia interdictum, & cessatio, sunt distinctæ censuræ.

9 QVÆST. Qui habet priuilegium audiendi sacrum tempore cessationis generalis, potestne ex vi talis priuilegij, sacrum audire tempore cessationis specialis? RESP. Minime. Ita Nau. citato loco. Ratio est, quia exceptio format regulam, & ideo, qui talem facultatem concessit ad vnam, manifestè ostendit, illam negare ad aliam cessationem.

10 QVÆST. Licetne tempore cessationis generalis celebrare, sicut licet in generali interdicto, seruata forma. capit. Alma. de sentent. excomm. in 6. hoc est summissa voce, & ianuis clausis? RESP. Affirmant Archid. capit. Si canonici cit. Summa confess. tit. 33. quest. 221. Viuald. tract. de irreg. capit. de interdicto Syluest. cessatio. Palud. in 4. d. 17. quest. 8. art. 3. D. Anton. 3. p. tit. 26. ca. 3. Nau. cap. 27. num. 189. Ratio est, quia



eadem apparet causa. Oppositum tamen dicendum cum Couar. *ca. Alma. p. 2. cap. 14. num. 7.* Curiel. *de cessat. col. 5.* & ita resolutum fuit Salmantica anno 1523. 1533. 1586. vt testatur Campos, quos refert, & sequitur Viuald. *titul. de cess. num. 6.* Henriq. *li. 13. de excom. cap. 53 num. 2.* Ratio est quia si Bonifacius suam concessionem extendi voluisset, id expressisset, sicuti fecit Leo V. *in Clem. 1. de sent. excom. ad alium euentum.* Ita Card. Tolet. *tract. de interd. ca. 2. num. 1.*

11 QVÆST. *Qui habet priuilegium audiendi sacrum tempore cessationis, potestne ex vi eiusdem priuilegij suscipere Eucharistiam?* RESP. Minime. Ita Couar. *cap. Alma. p. num. 1 Nau. ca. 27. num. 178.* Campos citatus. *nu. 45.* Ratio est quia lex priuilegij extendi non debet. *L. Quod vero. ff. de leg. capit. Que à iure com. de reg. iur. lib. 6.* Gloss. & commun. *in Authent. Quas actiones, Cod. de sacr. sanct. Eccles.* Idem de sacerdotibus non sacrificantibus notat Viuald. cum Calde. Archid. *loco citato.*

12 QVÆST. *Licetne celebrare tempore cessationis, ijs diebus quibus licet tempore interdicti?* RESP. Licet. Ita communiter Doct. notat Viu. & Campos, qui ait ita fuisse Salmanticae declaratum.

13 QVÆST. *Dic de obligatione recitandi horas canonicas tempore cessationis?* RESP. Summissa voce, & seorsim, & ideo absque priuilegio, non possunt recitare bini. Ita Valadieg. *de irreg. Cou. ca. Alma. 1. p. §. 7. num. 7.* Nau. *ca. 27. num. 129.*

14 QVÆST. *Licetne tempore cessationis, celebrare semel in hebdomada, pro renouanda Eucharistia?* RESP. Licet. Ita Doct. communiter, & Tolet. *loco sup. citato.*

15 QVÆST. *Ad quem pertinet cessationis edictum?* RESP. Ad solum Episcopum, & ad Capitulum sede vacante. Et tunc ad cessationis edictum, debent omnes canonici conuenire, sicut ad electionem. Ita decernitur *ca. Quamuis. de offic. Ordin.*

17 QVÆST. *Ob quas causas cessandum est?* RESP. Ob graues, Tale erit graue crimen contra Ecclesiam cum contumacia, vt si sacerdos, vel Ecclesiastica persona detineatur in carcere per iudicem secularem: si impediatur red-

tur redditus Ecclesiastici; si fiant statuta contra libertatem Ecclesiasticam.

17 QVÆST. Tenenturne priuilegiati audire sacrum tempore cessationis? RES P. Tenentur. Ita Sor. in 4. dist. 22. quest. 3. art. 1. Tolet. cap. 3. de interd. Ratio eadem, atque in interdicto, quia præceptum obligat eos, qui licite possunt sacrum audire, sed priuilegiati possunt licite sacrum audire; ergo &c.

18 QVÆST. Qua pœna punitur celebrans tempore cessationis? RES P. Dico primum; non incurrit irregularitatem. Ita Sylu. cessatio 3. quest. 5. Nau. cap. 27. num. 188. Sor. in 4. d. 22. quest. 3. art. 3. Ratio est, quia irregularitas non incurritur, nisi sit expressa in iure cap. Is qui. de sentent. excomm. in 6. atqui in iure nulla talis apponitur irregularitas; ergo &c. Dico secundum. Religiosi, qui non seruant cessationem generalem, quæ seruatur a matrice loci, incurrunt excommunicationem. Clem. 1. de sentent. excomm. Ita Cou. capit. Alma. Dixi generalem, quia de speciali nil in iure statutum est.

## CAPVT XIV.

### De Degradatione. §. I.

- 1 De Etymologia nominis.
- 2 Definitur degradatio.
- 3 Quo pacto facienda degradatio.
- 4 Effectus degradationis.
- 5 De grauitate huius pœna.
- 6 Varia nomina huius pœna.
- 7 Quis potest actualiter degradare.
- 8 An solus Episcopus sufficiat ad degradationem actualem.
- 9 An Episcopus possit degradari ab alio Episcopo.

Da 4

10 Qua

- 10 *Quae requiruntur ad degradationem Episcopi.*
- 11 *Quis potest actualiter degradari.*
- 12 *Ob quae delicta fieri potest degradatio.*
- 13 *Ob quodcunque graue scelus, an fieri possit degradatio.*
- 14 *De ordine degradationis faciendae.*
- 15 *Discrimen inter degradatum verbaliter, & actualiter.*
- 16 *An sacerdos degradatus sufficiat ad matrimonium ex licentia parochi.*
- 17 *An sacerdos degradatus possit absolueri in articulo mortis.*
- 18 *An per degradationem admittatur priuilegium canonis.*
- 19 *An degradatus actualiter, teneatur ad horas canonicas recitandas.*
- 20 *De missis ad turrets, & ob laborem non recitandis.*
- 21 *An degradatus possit interesse diuinis.*
- 22 *An degradatus exercens actum ordinis, fiat irregularis.*

1 **Q**UESTIO. *Qua est Etymologia nominis, degradatio?*  
**R**ESP. Est idem ac graduum priuatio. Ita Aug. Syluest. Arm. verb. *degradatio*. & Viuald. tract. de deo post. num. 2. translatum vero est hoc nomen ad peccatum, qua persona Ecclesiastica a gradibus dignitatis, ad quos de gratia ascenderat, deturbatur.

2 **Q**VAEST. *Quo pacto definitur degradatio?* **R**ESP. Est priuatio legitime executionis ordinum, & beneficiorum Ecclesiasticorum in totum absque spe restitutionis cum certa solemnitate, & priuatione priuilegij clericalis cuiusuis. Ita colligitur ex Sylu. Aug. Tab. & alijs Summistis, & ex Sot. quem refert, & sequitur Paulus Chrysal. in dicto cathol. verb. *degradatio* num. 2. Definiri item potest, est amotio clerici in sacris a priuilegijs, & ordinibus sacris ob cau-

ob crimen atrox. Ita colligitur ex c. 2. de poenis. lib. 6. c. No-  
uimus de verb. sig. c. Cum non ab homine de iudic. c. Quali-  
ter & c. Quando. de accus. Colligitur ex D. Thom. 3. p. q. 82.  
ar. 8. ad 3. & ex Felyn. in c. Non potest. de re iud. Abb. in  
Diction. ver. degradatio. Astenf. lib. 7. tit. 17. art. 1. Maior.  
lib. 3. cap. 22. quos refert Viuald. cum alijs. de deposit. nu. 3.  
Definitur etiam breuius. Est suscepti sacri ordinis per-  
petua depositio. Ita Felyn. cum Hostien. & Innoc. c. Qua-  
liter nu. 50 de accusation.

3. QVAEST. Quae conditiones requiruntur ad degrada-  
tionem? RESP. Vt solemniter fiat amouendo actualiter in-  
signia clericalia à degradato.

4. QVAEST. Quis est effectus huius poena? RESP. Exi-  
mere degradatum clericum à iurisdictione Ecclesiasti-  
ca, illumque tradere saeculari brachio. Ita Spec. tit. de ac-  
cus. §. 2. Abb. in cap. Ad audientiam. de crimin. fals. quos se-  
quitur communis sententia.

5. QVAEST. Estne degradatio omnibus Ecclesiasticis poenis  
maior? RESP. Maior quidem. Est enim Ecclesiae vltimum  
supplicium. text. in l. vlt. ff. de poenis. quam citat Astenf.  
in sum. lib. 7. tit. 7. ar. 1. habeturque in Ecclesia, instar  
mortis, vt notat Viual. in candel. tit. de degrad. num. 7. sepa-  
ratur enim membrum ab Ecclesia, quasi anima à corpo-  
re, vt ait Io. Andr. cum communi, in c. Vt inquisitionis. de  
haeret. in 6. Felyn. cap. in nonnullis de Iudeis. Maiol. tract. de  
irreg. lib. 3. c. 22. n. 2. Dixi, degradationem esse maiorem  
omnibus alijs poenis Ecclesiasticis; quia inter censuras.  
maior omnibus, est excommunicatio. Constat ex effectu  
illius, priuat enim excommunicatum participatione sa-  
cramentorum, tam actiua, quam passiua: fidelium suffra-  
gijs, Ecclesiastica sepultura, redditque talem excommu-  
nicatum iumentum diaboli. Ideo Christus Dominus  
pro vltimo supplicio censurarum apposuit inobedienti,  
sit tibi, tanquam ethnicus, hoc est, excommunicatus, &  
D. Paul. his Corinthum incorrigibilem vlt. excommu-  
nicauit. 1. Cor. cap. 5. notaturque c. Audiuimus. 24. q. 1. §.  
sin autem. vers. Apostolus. Deinde, quia de ea censura sic  
text. c. Cum non ab homine. de iud. Cum Ecclesia ultra quid  
agere non habeat, &c. Et quamuis inter censuras nume-  
remus degradationem: dicendum tamen maiorem ex-

communicationem, esse adhuc maiorem quoad Deum, & animam: degradationem vero quoad corpus.

6 QVAEST. *Quo nomine etiam apud Auctores appellatur degradatio?* RESP. Vocatur exauctoratio. Ita eam appellat Ang. tract. de malef. nu. 35. Simanch. de Institut. Cath. tit. 46. nu. 69. Cou. 2. lib. resol. c. 10. n. 10. Clar. lib. 3. 8. fin. q. 36. & multi alij, quos refert Viual. loco citato nu. 8. Sumptum fuit vocabulum per translationem à militibus qui ob scelus commissum, exauctorantur à ducibus, per subtractionem militarium insignium.

7 QVAEST. *Quis potest actualiter degradare?* RESP. De iure solus Episcopus, Ratio Viualdi est optima, quia res per quas nascitur, per eandem dissolvitur, sed Episcopus solus potest ad gradus Ecclesiasticos clericum euehere; ergo ille solus eum potest à gradibus deturbare.

8 QVAEST. *Sufficitne solus Episcopus ad degradationem actualem?* RESP. Minime. Sed ad degradationem presbyterij, adiungendi sunt saltem sex Abbates, ad degradationem Diaconi, vel Subdiaconi, tres. Ratio est, quia ex Concilio Trident. sessi. 13 cap. 4. de refor. nunc tot abbates adiungendi sunt, quot olim adiungebatur Episcopi: sed olim tot Episcopi requirebantur, ut ostendit Viual. num. 16. ergo &c. Si tamen Diaconus fuit ordinatus à Papa, non potest ab Episcopo degradari. Ita Bern. in cap. Per quas de maior & obed. quem refert, & sequitur Astensis loco citato.

9 QVAEST. *Potestne Episcopus degradari ab alio Episcopo?* RESP. Minime. Nec à Legato à latere, nisi ex speciali commissione. c. Inter. de transact. notat Astensis, & Maiolus citati. sed à solo Papa.

10 QVAEST. *Quae requiruntur ad degradationem Episcopi?* RESP. Ut causa ageretur coram duodecim Episcopis, & processus, ac Episcoporum iudicium sunt deferenda ad Papam, & ab eo proferenda sententia. Ita Glor. & Doct. cap. Non potest. de re iudic. ca. Felix. 15. quaest. 7. Specul. tit. de accus. §. 4. Innocent. c. Graue. de presb. Paul. in cap. Non potest. de iudic. Ang. Sylu. Tab. degradatio.

11 QVAEST. *Quis potest degradari actualiter?* RESP. Clericus omnis. Ita Albert. cap. Quoniam de her. lib. 6. Non est tamen in usu degradatio clerici in minoribus, uocat Co-

uar. &

har. & Salzedo, quos refert, & sequitur Vinal. *de deposi-*  
*nu. 13.*

12. QVAEST. Præter qua delicta quis est degradandus?

RESP. 1. Propter hæresim. *cap. Ad abolendam, de hæret. cap. degradatio. de poen. lib. 6.* Nisi statim pœniteat, & resipiscat. *cap. Excommunicamus. de hæret. lib. 6.* Ita Tab. *verb. degradatio. num. 4.* Director. & Repert. Inquisit. 2. Item propter falsificationem literarum Apostolicarum. *cap. Ad falsariorum. de crimin. fals. 3.* Item per coniurationem in proprium Episcopum, vel ob iniuriam illi factam. *c. Si quis Sacerdotium. 11. quest. 1.* Hostiens. Innoc. quos refert, & sequitur Astens. *art. 3.* Clarus *lib. 5. §. fin.* 4. Propter Sodomiam. Ita decrevit Pius V. Proprio motu, quæ refert Salzedo *in additio. cap. 86. lit. C.* Nauar. *cap. 27. nu. 249.*

13. QVAEST. Vltra hæc delicta suntne alia, propter qua degradandus sit clericus? RESP. Negat communis opin. teste Claro loco proxime citato, adeo vt nec propter occisionem ipsius Papæ, potest clericus degradari. Sed immerito: ex consuetudine enim propter atrox scelus degradantur, vt refert Bern. Dias *in praxi. cap. 96.* veluti propter monialis violationem.

14. QVAEST. Quis est ordo degradationis? RESP. Qui ex consuetudine seruatur.

15. QVAEST. Quid interest inter degradatum verbaliter, seu depositum, & degradatū actualiter? RESP. Multum quidem: nam depositus non subiacet potestati sæculari. Ita Iul. Clarus *lib. 5. §. fin.* Nec est priuatus in perpetuum. Degradatus vero actualiter, subiacet potestati laicæ, & est priuatus in perpetuum, tum ordinis executione, tum beneficiorum fruitione. *ca. degradato. de poenis. lib. 6. & ibi Doct. & Astens. lib. 7. tit. 4. art. 1.*

16. QVAEST. Effetne verum matrimonium coram testibus, & clerico degradato ex licentia parochi? RESP. Verum. Ita Vinal. *tract. de degrad. n. 37.* Ratio est, quia ex Conc. Trid. *sess. 24. cap. 1. de reform.* est matrimonium verum factum coram parochi, & testibus; vel coram sacerdote de licentia parochi, sed talis degradatus, adhuc est verus sacerdos propter characterem indelebilem, ergo, &c. Vnde aperte colligitur veros esse ordines collatos, ab Episcopo de-

po de-

po degradato, quia per degradationem, non amittitur  
Episcopalis character.

17 QVÆST. Potestne sacerdos degradatus absolueri in articulo mortis pœnitentem? RESP. Potest. Ita Vival. in candelabro. 1 p. titul. de absol. nume. 64. & de degradation. num. 39. Couar. cap. Alma. 1 p. 6. nu. 8. Salzed. in addit. c. 33. Cane. 2. p. collec. 65. num. 2 Ratio est, quia propter instantem necessitatem, dedit Ecclesia talem potestatem cuius sacerdoti: degradatus autem adhuc est verus sacerdos.

18 QVÆST. Amittitne degradatus priuilegium canonis quod 17. qu. 4. RESP. Degradatus verbaliter secundum omnes non amittit. Degradatum autem verbaliter, tale non amittere priuilegium tenuit Donas. reg. 99. ampl. 2. Cum Baldo, & Innoc. quos refert. Oppositum tamen est dicendum cum Gaier. Aug. & Sylu. verb. degradatio. nu. 2. Claro. lib. 5. §. fin. qu. 77. nu. 20. cum Glossa. cap. de Degradatio. de poenis. lib. 6. ca. Accedens. 50. d. Anchar. c. Cum contingit de sent. excom. & Astens. lib. 7. tit. 47. art. 4.

19 QVÆST. Teneturne actualiter degradatus recitare litteras canonicas? RESP. Tenetur. Ita Gigas. tract. de pens. 9. 64. Decius c. Intelleximus nu. 25. de iudic. Gloss in cap. Presbyterum. 28. de verb. priuatis. Sylu. degradatio num. 8. Ang. nu. 4. Armil. n. 3. Cou. lib. 3. Variar. c. 13. §. 12. cum Abbate. Innoc. & Alex. quos refert. habetur cap. Dolentes de celebrat. missarum.

20 QVÆST. Missus est degradatus ad triremes: ibi pro laborum magnitudine caret tempore ad recitandum officium, peccatne lethaliter non recitando? RESP. Non peccat. Ita Vival. de degradat. n. 4. In eo tamen, quod dicit talem degradatum teneri ad recitandum aliquoties orationem dominicam, & Angelicam salutationem, loco officij, non videtur loqui iuxta rationem. Ea est clara. nam sacerdos deobligatus ex alia causa à recitando officio, non tenetur ex vi præcepti recitare alias orationes; ergo nec degradatus in triremibus.

21 QVÆST. Poteritne degradatus interesse diuinis officijs? RESP. Poterit. Ratio est, quia degradatus non manet excommunicatus, & ideo quoque alia, præter exercitium graduum, à quibus deponitur, est æqualis alijs non degradatis. Ita Vivald. de degrad. nu. 49.

22 QVÆST.

22. QVÆST. Degradatus exercens ordinis actum, à quo est degradatus, manetne irregularis noua irregularitate? RESP. Manet. Ita c. *Accedes* 59. dist. ibi Glo. & Doctor, nec dignus est dispensatione, etiam post pœnitentiam. Idem dicendum de eo, qui consecraret Eucharistiam sine celebratione missæ iuxta Viuald. de *degrad. num.* 47. cum D. Anton. quem refert.

*Finis Secunda Partis.*

---

# EXAMINIS THEOLOGICÆ MORALIS

PARS TERTIA.

In qua de septem Ecclesiæ Sacramentis:

De Diuino Missæ sacrificio.

De indulgentijs.

De Purgatorio.

De Bulla Cruciatæ.

De Horis Canonicis.

De Beneficijs.

De Simonia: quæstiones solitæ strictim agitantur.

---

## CAPVT I.

De Sacramentis in genere.

§. *Antequam ad singula quæque Nouæ Legis sacramen-*

*men-*